

Prima ergo causa divortii est hæresis, seu apostasia, *cap. 2. h. t. l. 2. tit. 10. part. 4.* ac proinde si innocens grave periculum perversionis patiat, tenetur hæreticum dimittere, nec indiget autoritate Judicis: nam cum hæc obligatio sit Juris Naturalis, potest propria autoritate hæreticum dimittere, si solum ex cohabitatione periculum commune perversionis imminet, non tenetur innocens ab eo communi periculo fugere cum gravi suo detrimento: quod sanè pateretur in divortio, vivendo in cælibatu, sequè obsequiis, & cohabitatione uxoris privando, *cap. 6. h. t. Sanch. de Matrim. l. 10. D. 15. ex n. 5.* cum hæresis ex se non sit causa perpetui divortii, innocens tenetur admittere conjugem respicientem post divortium, non solum autoritate propria, sed etiam sententia Judicis factum, *cap. 7. h. t. & deducitur ex Leg. 2. tit. 10. p. 4. ibi: Esso mismo seria del que ficieste jorncio espiritualmente, tornandose Herege, ó Moro, ó Judío, si non quisiesse facer enmienda de su maldad.* Nisi fortè innocens velit Religionem ingredi: nam favore Religionis non tenetur conjugem admittere, *e. fin. de Convers. conjugatur.* Et sic debet intelligi, *cap. 6. h. t.* quod videtur contrarium; *text. in cap. 7. h. t. sic Gloss. in cap. 6. h. t. Hostiens. Joan. Andr. Abulens. in c. 19. Matth. q. 76. Barb. in cap. 6. h. t. n. fin. Greg. Lop. in l. 2. tit. 10. p. 4. & alii apud Sanch. de Matr. l. 10. D. 15. n. 18.* contra *Sanch. n. 19. ubi plures citat. Gonz. in cap. 6. h. t. & alios.* Si uterque conjux ab Ecclesia est de hæresi damnatus, uterque potest ab altero, etiam invito divertere: quia per sententiam uterque est perpetuo privatus jure conjugali: nec in hoc datur compensatio. Si unus tantum sit condemnatus innocens, potest ab eo divertere, nec eidem reconciliari tenetur, *Sanch. de Matr. l. 10. D. 16. n. 4.* Nec hæresis cum adulterio, quoad divortium agens adversus hæreticum ad divortium: nec ejus intentio elidit adulterii exceptionem: quia licet hæresis post sententiam sit causa perpetui divortii, sicut adulterium, ratio est diversa, & finis distinctus: quippe divortium ob adulterium est inductum ob utilitatem privatam conjugis, secus divortium ob hæresim; nam hoc est inductum ob injuriam, & violationem fidei, non conjugii, sed Deo data. *Sanch. de Matr. l. 10. D. 16. Ponz. de Matrim. lib. 9. cap. 22. n. fin. 2.* causa divortii est

periculum animæ, quod conjux timet ex cohabitatione cum alio; v. g. si inciter, vel impellat ad beneficium, turrim, maleficium, præposteram venerem, licet innocenti divortium facere, *c. 5. 28. q. 1.* non tamen perpetuum, licet hoc aliqui concedant: nam tenetur innocens conjugem emendatum admittere ad cohabitationem. Si delictum conjugis nec in periculum animæ, nec corporis alterius redundet, non licet ob illud divortium facere; *arg. cap. 2. h. t. & ibid. Abb. D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 6. Sanch. de Matr. l. 10. D. 17. n. 5.*

184 3. Causa est periculum corporis, quod conjugii imminet ex cohabitatione alterius, & præbet causam divortio. Hinc sanus potest separare se a Leproso, vel alio morbo contagioso laborante. *Novo. Man. cap. 22. n. 22.* vel a latrone si timeat ob ejus consortium grave vitæ, vel honoris detrimentum. *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 18. n. 21.* Savitia, non solum viri, ut frequentius accidit, qua uxorem suam crudeliter tractat, vel ejus vitæ ferro, vel veneno insidiatur: vel mortem, vel mutilationem seriò minatur, *cap. 8. cap. 13. de Restit. spoliator.* sed etiam si uxor mariti vitæ insidiatur, & nequeat aliter maritus se ab ea tueri, divortium facere potest, *cap. 1. h. t. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 2. Sanch. de Matrim. l. 10. D. 18. n. 2. & 8. Ponz. de Matrim. l. 9. cap. 23. num. 8.* contra aliquos. Quia cum non solum uxori, sed etiam, & marito hoc possit imminere periculum jus naturale dicitur, quod possit illud faciendo divortium vitare, siquidem cum correlativa sint, quod de uno dicitur, de altero sua proportione intelligendum est, juxta illud; *sed quæcumque viris, vobis quæque dicta, puella, creâite: diversis partibus arma damus.* Et licet ad hoc divortium requiratur autoritas Judicis Ecclesiastici; *arg. c. 8. c. 13. de Restit. spoliator. c. 4. h. t.* potest uxor à saviente discedere propria autoritate, si ut plerumque accidit, sit periculum in mora: nec restituitur, nisi saviens præstet cautionem de non offendendo, vel per pignora, & fidejussores, vel his deficientibus per juramentum; *arg. Auth. Generalitèr, C. de Episc. & Cleric. Quod si adhuc mulier non credatur secûra, apud cognatos, vel alio loco securo donec causa disceptetur deponitur; arg. cap. 14. de Spons. Sanch. de Matr. l. 10. D. 18. ex n. 40. Ponz. de Matr. l. 9. cap. 23. n. 6.* Quod si tanta fit conjugis savitia, ut nulla spes emenda-

tio-

tionis appareat, & sententia divortii perpetui sit pronuntiata à Judice, potest innocens Sacros Ordines suscipere, vel in Religione profiteri, etiam altero invito, secus est, si divortium sit tantum temporale. *Sanch. de Matr. l. 10. D. 18. n. 49.* si conjux in furorem incidat, ita tamen, ut sine periculo possit sanus cohabitare, separari non debent; *arg. cap. 18. 32. q. 5.* possunt tamen separari si in cohabitatione est periculum; imò si judicio Medicorum desperetur extinctio furoris potest fieri divortium perpetuum, & sanus poterit Sacros Ordines suscipere, vel Religionem profiteri. Quod si præter spem furiosus ad mentem redeat, suum conjugem revocabit ad cohabitationem. *Sanch. de Matr. lib. 10. D. 18. n. 48. junct. D. 9. n. 9.* Etiam molesta cohabitatio, quæ ex rixarum, & jurgiorum frequentia, quæ inter conjuges oriuntur, cum gravem metum incutiant, & corpus, & anima possint periclitari, dat causam divortio. *Sanch. de Matr. l. 10. D. 18. n. 11.*

TIT. XX.

De Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

185 **I**N præsentî titulo agitur de donationibus, quæ inter virum, & uxorem solent fieri: & in secunda Rubrica parte agitur de dote, quæ viro ab uxore traditur, & uxori à viro, dissoluto matrimonio, restitui debet: cum ergo de his suo ordine agendum sit: jam ad primæ partis explicationem deveniamus. Donatio merè liberalis, & gratuita quæ fit inter conjuges durante matrimonio, ita ut donans fiat pauperior, hoc est, quod ejus patrimonium actu habitum diminuat, & donatarius fiat locupletior, hoc est, quod ejus patrimonium augeatur: est nullius momenti ex parte donantis: siquidem, nec civilem, nec naturalem ex ejus parte obligationem producit, jure resistente. Donatarius tamen potest rem donatam retinere, quousque revocetur à donatore, vel morte donatoris confirmetur, *cap. fin. h. t. & ibid. Barb. & Gonz. Sanch. de Matrim. l. 6. D. 1. & alii:* aliis conjuges mutuo amore invicem spoliarentur, dum donationibus, non

temperantes profusa erga se liberalitate uterentur. *L. 1. ff. h. t.* Et melior in paupertatem incidere, & deterior ditior fieret. *L. 3. ff. eod. l. 4. tit. 11. p. 4. ibi: E porque el que fuese escaso, seria de mejor condicion, que el que es franco en dar.* Etiam prohibentur donationes, quas sibi conjuges non immediate, sed alia mediante persona faciunt. *L. 5. ff. h. t.* Item venditio, vel alius quicumque contractus, si in eis pretium remittatur. Vel alia quæcumque debiti remissio: nam tunc etiam si alio nomine pallietur, erit vera donatio. Alii tamen contractus, in quibus donatio non intervenit valent inter conjuges. *L. 5. §. 5. ff. h. t.* Donatio sanè inter conjuges cum non adversetur bonis moribus, nec vergat in dispendium salutis æternæ: sed solum Legibus Civilibus opponatur, confirmatur per juramentum de ea non revocanda. *arg. cap. 28. de Jur. jur. cap. 2. de Pact. in 6. Covarr. 1. Var. cap. 7. n. 4. Gutier. de Jur. confirm. p. 1. cap. 3. num. 7. Gomez, Molina. Sanch. de Matr. l. 6. D. 11. n. 2.* contra *Barth. Bald. & alios.* At verò donatio causa mortis inter conjuges valet: quippe morte matrimonio soluto, cessat periculum, ne mutuo amore spoliarentur: imò, & donatio ab ipsis inter vivos facta, si non revocetur expresse, aut tacite: morte donantis ante donatarium confirmatur, *capit. fin. h. t. l. 32. §. 1. ff. eodem, l. 4. tit. 11. p. 4. Sanch. de Matr. l. 6. D. 14.* præcipue si præcessit traditio saltem ficta rei donatæ. Sed hodie non requiri, præcessisse traditionem tenent *Gonz. in cap. fin. h. t. n. 12. & alii.* Etiam in aliquibus casibus valet donatio inter vivos facta inter conjuges: 1. si donatio inter spòntes celebretur, quin suspendatur ejus effectus in tempus jam contracti matrimonii. *L. 27. ff. h. t.* quod si dominii translatio in tempus matrimonii conferatur, non valet. *L. 32. §. 22. ff. h. t.* Si verò matrimonium non sequatur, non tenet donatio: siquidem sub tali conditione intelligitur celebrata: nisi pactum de non revocando obstat: vel copula post sponsalia sequatur: vel culpa donantis non sit matrimonium secutum. *L. 15. C. de Donat. ante nupt. 2.* Donatio, quæ confertur post mortem donantis. *L. 11. ff. h. t.* talis enim creditur donatio causa mortis: quæ sanè inter conjuges valet. *L. 9. §. fin. ff. h. t.* sed non transfertur in donatarium dominium, donec mors donantis sit secuta, etiamsi res donataria tradita sit. *L. 11. ff. h. t. Barbos. & Gonz. in 6. cap.*

cap. fin. h. t. Sanchez de Matrim. L. 6. D. 3. num. 8.

166 3. Maritus potest remittere uxori dotem promissam: nam tunc remittit, non quod suum est: sed quod erit; arg. L. 14. C. de Donation. ante nupt. secus si dos jam est soluta. Sanchez de Matr. L. 6. D. 3. n. 10. Hinc maritus hæres institutus, vel legatarius factus, ante acceptationem hæreditatis, vel legati potest in favorem uxoris renuntiare: quippe tunc nihil de ejus patrimonio, quod actu habet dimittitur: ac proinde non fit pauperior. L. 5. §. 13. ff. h. Non tamen potest post acceptationem: quia tunc pauperior fieret cum esset donatio juris adquisitæ. Nec potest maritus volenti donare ipsi jubere, ut uxori det: nam tunc censetur prius acceptare, & postea donare: ac proinde patrimonium minuitur. L. 3. §. fin. ff. h. t. Gomez 2. Var. cap. 4. n. 24. Sanchez de Matr. L. 6. D. 4. num. 2. Gomez in cap. fin. h. t. n. 14. Nec possunt conjuges, matrimonio durante, renuntiare lucris acquisitis tempore matrimonii: imò nec quærendis: quia sic renuntians fieret pauperior, & alter ditior: quod habet, quoad lucra; quod pretio æstimabile est. Nec paritas hæreditatis, & legati urget: nam eorum dominium acquiritur dependenter ab acceptatione hæreditatis, vel legati, secus in lucris in matrimonio quærendis, quod ab ipso jure conjugibus tribuitur. Ante matrimonium possunt utique hoc pactum ponere, scilicet, quod lucra unum tantum cedant: quia nec iniquum, nec contra substantiam matrimonii est tale pactum.

187 4. Rex exigui pretii possunt sibi conjuges donare, ut qua die natalis, vel aliis solemnioribus solent conjuges sibi donare. L. 31. §. 8. ff. h. t. 5. Valet donatio, quæ fit ex quadam comiseratione, vel pietate; v. g. ad sustentationem conjugis: ad valetudinem reparandam: ad adium incendio combustarum refectionem, ad sepulturam, & similia. 6. Si ædes conjugum ad habitationem permittantur, servi, vel animalia, vel vestimenta conceditur ad usum. L. 18. ff. h. t. vel si uxor aliquid donet marito ad dignitatem, gradum, vel officium obtinendum. L. 40. ff. h. t. 7. Si res donetur, ut in alium transferatur; v. g. ad fundationem capellæ. L. 5. §. 16. ff. h. t. Denique quoties non concurrunt simul hæc duo: scilicet, quod donans pauperior fiat, & donatarius ditior. L. 4. t. 11.

p. 4. ac proinde quolibet ex his deficienter, donatio non prohibetur. L. 5. §. 8. ff. h. t. L. 5. L. 6. tit. 11. p. 4. Donatio remuneratoria, quam maritus facit uxori ob ejus merita, & obsequia, si hæc sint æqualia, vel æquivalentia donationi attentæ qualitate personarum valet: siquidem tunc non est proprie donatio, ex mera liberalitate procedens, si excedat merita, quoad excessum non valebit. cap. 12. de Testam. Sanchez de Matrim. L. 6. D. 6. ex n. 6. Gomez in cap. fin. h. t. n. 7. Donatio facta inter conjuges existimatos, quando scilicet matrimonium est nullum ob aliquod dirimens impedimentum; si uterque, vel saltem donans ignoret nullitatem matrimonii est invalida donatio, non ex resistantia juris, cum vere non sint conjuges, sed ex defectu intentionis: nam donans credit, & vult uxori non extraneæ donare, & cum illa mulier vere non sit uxor, sed extraneæ, non censetur ei donare velle. L. 32. §. 27. ff. h. t. Sanchez de Matr. L. 6. D. 2. n. fin. & alii contra Sylv. Tabien. & alios. Si uterque sciat, nullum esse matrimonium donatio valet: quia cum personæ sint habiles, siquidem conjuges non sunt, & non desit animus donandi, donatio erit valida in foro conscientie. Sanchez de Matrim. lib. 6. D. 2. n. 2. In foro tamen externo sic donatum credit fisco in poenam reprobatæ matrimonii. L. 32. §. fin. h. t. L. 51. tit. 14. p. 5. si solus donans sciat matrimonii nullitatem valet in utroque foro. Molin. de Just. tr. 2. D. 200. Sanchez de Matr. lib. 6. D. 20. n. 4. & n. 5. qui dicit, id tenendum esse de Jure Castellæ, ex L. 50. tit. 14. p. 5.

188 Ad secundam Rubricæ partem deveniendo, de bonis uxoris agendum nunc est. Bona ergo uxoris alia sunt paraphernalia, alia dotalia. Paraphernalia ex ipsa nominis Græci significatione, sunt ea, quæ extra dotem sunt. L. 8. C. de Pact. convent. L. 17. tit. 11. p. 4. Et hæc si marito tradantur, fit respectu eorum quasi procurator uxoris, & solum ad communes usus suos, & uxoris ea expendere valet. Et matrimonio soluto fructus extantes, & quidquid involta uxore, & non ad communes usus est expensum, & quatenus maritus est factus lucupletior, uxori restituere tenetur. Et licet communijure attento aliqui teneant, mulierem non amittere hæc bona per adulterium: attamen de Jure Hispano ea amittere constat ex generalitate. L. 1. tit. 20. lib. 8. R. C. Sean en poder del marido, y juga

de ellos lo que quisiere, y de quanto han pero si hijos derechos ovieren ambos, ò el uno de ellos, heredan sus bienes. Ita Acev. ibid. num. 18. Sanchez de Matrim. lib. 10. D. 8. num. 10. Alia bona sunt dotalia, illa scilicet, quæ dotem constituunt. Dos ergo à dando vel donando dicitur: & hic sumitur, non formaliter pro conventionem, qua dos constituitur: nec effective, pro jure, quod maritus, vel uxor in dote habent, sed objective pro re in dote data, & sic communiter describitur. Est illa species, vel quantitas, quæ ab uxore, vel ab alio ejus nomine marito datur ad sustinenda onera matrimonii, scilicet, ad uxorem, liberos, & familiam alendam. Sive res sit corporalis, sive incorporalis: sive mobilis, sive immobilis: sive ususfructus, sive feudum, vel quid simile: dummodo res sit propria dotem constituentis. L. 1. L. 14. tit. 11. p. 4. Si pater dotem constituit, sufficit, quod indefinite promittatur: nam tunc juxta facultates, & dignitatem est constituenda. Extraneus tamen non potest dotem indefinite promittere: talis enim promissio esset illusoria, nisi arbitrio boni viri esset determinanda dotis quantitas. Dos quidem, alia est profectitia, ea scilicet, quæ provenit à patre, vel avo paterno, vel à quocumque alio contemplatione patris. L. 5. ff. de Jur. dot. C. 2. tit. 11. p. 4. Alia est adventitia, quæ scilicet, non provenit à patre, nec ejus contemplatione, sed ab alio, vel extraneo, vel etiam consanguineo; etiam ab avo materno, vel fratre; arg. L. 35. ff. de Jur. dot. L. 2. tit. 11. p. 4. Si dos tantum promissa sit, producit ex parte promittentis obligationem ad eam tradendam, & ex parte promissarii actionem ad petendam eam: etiamsi nudo pacto sit promissa, præcipue de Jure Hispano. L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. Si vero dos sit constituta, vel tradita, etiamsi mulier habeat dominium naturale dotis, tamen maritus acquirit dominium civile. L. 7. tit. 11. p. 4. Nec pro ejus conservatione tenetur maritus cautionem præstare, si enim mulier suum corpus marito credere non veretur, quare dotem tradere timebit? L. 1. L. 2. C. Ne fidejussor. vel mandat. Potestque rem dotalem vindicare, fructusque percipere prorata matrimonii ad ejus onera sustinenda, ita ut si in anni dimidio moriatur, dimidia pars fructuum ejus hæreditarij restituitur. L. 7. ff. de Jure dotium. Si res immobiles inæstimatæ tradantur, vel etiam æstimatæ, sed tantum causa ta-

xationis, non potest eas maritus alienare, ne quidem cum consensu mulieris. Princ. Inst. Quib. alien. Res vero æstimatæ æstimatione faciente venditionem potest maritus, quomocumque velit, alienare, quia carum absolutum dominium acquirit: & matrimonio soluto solum ad pretii restitutionem tenetur. L. 10. ff. de Jur. dotium. Idem dicendum est de rebus mobilibus, quæ pondere, numero, vel mensura constat: nam matrimonio soluto tantum tenetur maritus alias ejusdem generis restituere. L. 42. ff. de Jur. dot. ac prohibendè in his rebus periculum cedit marito. L. 18. & seqq. tit. 11. p. 4.

189 Pater tenetur dotare filiam in patria potestate existentem. L. 8. tit. 11. p. 4. Etiamsi filia inscio, vel invito patre matrimonium contraxisset; si hoc dignum, & decens sit. Deinde filia naturali, vel spuria, vel ex damnato coitu orta, si inops sit, modicum dotem per modum alimentorum pater constituere debet. Quod si filia Religionem ingredi velit, cum causa Religionis sit matrimonium carnali favorabilior, etiam tenetur pater eam dotare. Sanchez de Matr. lib. 4. D. 26. n. 7. Etiam stuprator, si stupratam non ducit in uxorem, eam dotare tenetur. c. 1. c. 2. de Adulter. Et quidam dos debet taxari secundum facultates patris, numerum liberorum, dignitatem mariti, & consuetudinem loci, & ad hoc possunt parentes Judicis officio compelli. Non tamen debet dos necessariò esse æqualis legitime, siquidem hæc adhuc non debetur, sed tantum post patris mortem. Sanchez de Matrim. lib. 4. D. 26. n. 8. Jure Hispano dos non potest legitimam excedere, nec filia potest à patre meliorari in tertio, & quinto ratione dotis. L. 1. tit. 2. lib. 5. R. C. Uxor doti correspondet ex parte mariti donatio propter nuptias, seu contra dos, seu dotarium, ut dicitur in c. 4. h. t. & ibid. Gomez in 6. Hispanæ. Arras. Hæc quidem à marito, vel alio ejus nomine uxori constituitur in dotis remunerationem, & securitatem. L. 1. tit. 11. p. 4. & Jure Communi eisdem pactis, & quantitate, ac dos constituitur. L. 9. C. de Pactis convent. & potest sicut dos, vel ante vel post matrimonium constitui, & augeri. Sed ejus administratio, & fructus pertinent ad maritum, & soluto matrimonio ad ipsum redit donatio. L. 20. C. de Donat. ante nupt. sicut redit dos ad uxorem, vel patrem dotantem. L. 2. ff. Solut. Matr. Jur. tamen Hispano hæc donatio nequit excedere.

dere decimam partem bonorum mariti, nec potest renuntiare Legi hanc taxationem constituenti. *L. 50. Taur. L. 2. tit. 2. lib. 5. R. C. Sponsalitia largitas Hispanæ Donas.* Est donatio, quam sponsi mutuo sibi faciunt ante matrimonium, causa, & conditione tacita matrimonii; quo secuto acquiruntur donatorum, nec postea eo soluto restituere tenentur donati. *Sanch. de Matr. lib. 6. D. 18. n. 2.* Si donantis culpa non sequatur matrimonium amittitur donatum, donatorioque acquiruntur. Si culpa donatarii: ipse donatum restituere tenetur; si neutrius culpa intercedat, restituitur sponso donatio ab eo facta: si tamen ocularis culpa acquirat sponsa meditata donationis; sive osculum præcedat, sive sequatur jocalium donationem: quod saltem de *Jure Hispano* tenendum est, ob generalitatem. *L. 54. Taur. L. 4. tit. 2. lib. 5. R. C. Sanchez de Matrim. lib. 6. D. 18. n. 5.* Hæc donatio in *nostra Hispania* non potest excedere octavam partem dotis, quam maritus accipit ab uxore. *L. 1. tit. 2. lib. 5. R. C. & mortuo marito post matrimonium consummatum hæc jocalia acquiruntur mulieri: & ejus hæredibus: ita tamen, ut si maritus simul illi, & arras, & jocalia donavit, non possit simul omnia capere, sed sit in mulieris, & ejus hæredum optione, vel arras jocalia accipere: & hæc optio debet fieri intra 20. dies postquam requiruntur ab hæredibus mariti. *L. 4. tit. 2. lib. 5. R. C. Acev. & Matienz. ibid. Sanch. de Matr. lib. 6. D. 24.**

190 Constante matrimonio non potest uxor repetere dotem à marito: si quidem hic debet habere tale juvamen ad onera matrimonii sustinenda. Excipitur 1. si maritus sua culpa; v. g. dilapidatione ad inopiam vergat. *L. 24. ff. Solut. Matrim.* Tunc enim debet maritus dotem assecurare fidejussione, vel alia sufficienti cautione: & hanc mulier recipere tenetur, dote apud maritum manente, si hoc Judex decernat, vel hic jubebit dotem apud sequestrem deponi, vel alicui mercatori tradi, ut salva substantia dotis ejus fructus tradat marito, ut onera matrimonii sustineat. *c. 7. b. t. si infortunio, seu casu fortuito maritus vergat ad inopiam non potest cogi ad dotis restitutionem. L. 29. tit. 11. p. 4. 2. potest dos repeti à marito, si ob aliquod crimen; v. g. læsæ Majestatis, hæresis, parricidii, beneficii, vis publica, vel quid simile mariti bona fisco addi-*

cantur. *L. 13. ff. Solut. Matr. 3.* quando filii prioris matrimonii, parentes, fratres, aut sorores uxoris non habent, unde alantur, vel ut à captivitate redimantur. Solutio quidem matrimonio, vel quoad vinculum, vel quoad thorum tantum, & cohabitationem; si perpetuo dissolvatur, etiam sine culpa conjugis v. g. si alter de consensu alterius recipiat Sacros Ordines, vel Religionem profiteatur, dos uxori restituenda est; & donatio propter nuptias marito; quippe tunc maritus non tenetur onera matrimonii sustinere ob quæ datur dos. *c. 1. b. t. L. fin. C. Solut. Matr. Gonz. in c. 1. b. t. n. 10.* Solutio ergo matrimonio res dotales immobiles sunt statim restituendæ: mobiles vero post annum, nisi pater, aut mater debeat restitutionem facere filiis minoribus, quia tunc potest dotem retinere usque ad legitimam filiorum ætatem, ut possit filios alere. *L. 31. tit. 11. p. 4. Bona tamen lucrata non dividuntur, sed ad quemlibet illorum spectat id, quod ex ejusque patrimonio, vel industria respectivè adquisitum est. L. 12. C. de Jur. dot. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 1. n. 5. Gutier. Barb. Gonz. in c. 2. b. t. in nostra Hispania pro matrimonio contrahitur quadam Legalis societas inter virum, & uxorem, ita ut communicentur, & dividantur pro æqualibus portionibus, soluto matrimonio, inter conjugem superstitem, & hæredes defuncti omnia bona, quæ sunt acquisita, durante matrimonio: sive ex negotiatione, sive aliunde provenierint: & Hispanæ dicuntur: *Bienes Gananciales.* Ab hac tamen dispositione, & communione extrahunt capitale, seu sors principalis utriusque conjugis, & bona Castrensia, officia, & donationes Regiæ; at verò fructus talium bonorum communicantur. Quod si mulier post mortem mariti luxuriose vivat amittit hæc bona lucrata. *L. 1. L. 2. L. 3. L. 4. L. 5. tit. 9. lib. 5. R. C. vid. Acev.* Si matrimonium declaratur nullum ob impedimentum latens, quod à contrahentibus ignorabatur errore probabili, dos uxori, donatio propter nuptias marito restituitur. *c. 1. b. t. si verò matrimonio cum tali impedimento scienter, vel cum ignorantia supina, & crassa contractum est, dos, & donatio propter nuptias acquiruntur fisco; nisi contrahentes sint Minores. L. 4. C. de Incest. & inur. nupt.* Et quidem dos, soluto matrimonio, reddit ad uxorem, non solum, quando ipsa sibi dotem*

construit. *L. 26. tit. 11. p. 4.* sed etiam quando ejus pater eam constituit, præcipue in *nostra Hispania*, in qua per matrimonium filius exit à patria potestate, *L. 8. t. 1. lib. 5. R. C.* sed etiam quando dos est adventitia, & constituta ab extraneo; nisi hic stipuletur, sibi dotem mortuo marito esse restituendam. Mortua tamen uxore dos filiis suis, aliisque hæredibus acquiruntur. *L. 30. L. 31. tit. 11. part. 4.*

191 Denique maritus restituere debet quidquid dolo, culpa lata, vel levi in re dotali deliquit. *L. 17. ff. de Jur. dot.* Imò etiamsi absque ejus culpa res dotalis perierit, vel deterioretur, si consistebat in rebus fungibilibus, numero, pondere, vel mensura constantibus; vel si res fuit æstimata æstimatione venditionem constituit. Nam tunc maritus acquirat plenum dominium: ac proinde ad ipsum pertinet periculum, & tantumdem præstare tenetur. *L. 42. ff. de Jur. dot.* si non est æstimata res dotalis æstimatione venditionem faciente, nihil præstare maritus tenetur. Maritus quidem, & ejus liberi gaudent in restitutione dotis beneficio, quod dicuntur *competentia*, ita ut non teneantur ultra quam quod facere possunt: ac proinde retinere valent, quod sit necessarium ad congruam sustentationem; etiamsi pactum contrarium adjiciatur: nam tale pactum contra bonos mores, & invalidum censetur. Nec enim æquitas patitur, inter tam conjunctas personas adeò severam exactionem, ut alter ad mendicitatem redigatur. *L. 12. ff. Solut. Matr.* Hoc tamen beneficio non gaudent maritus putativus, nec qui se dolo fecit impotentem ad dotem reddendam: nec alii hæredes mariti, nisi liberi. Præterea uxor pro dote repetenda gaudet hypotheca privilegiata, constituta quidem in omnibus mariti bonis, ut solutionem accipiat ante omnes alios creditores. *L. 30. C. de Jur. dot. L. 12. §. 1. C. Qui potiores, ibi: Sancimus, ex stipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam potiora jura contra omnes: habere mariti creditores, licet anterioris sint temporis privilegio vallati.* At verò quoad paraphernalia habet uxor tacitam hypothecam, sed non privilegiatam, in bonis mariti, nec anterioribus creditoribus præfertur. *L. fin. C. de Pact. consent.* Si unus ex conjugibus adulterium committat, ac propterea divortium fiat, innocens; v. g. maritus

recuperat donationem propter nuptias, & insuper dotem lucratur: quando hæc ad uxorem est reditura; secus si ad alium, cui adulterium uxoris nocere non debet. *L. 23. tit. 11. p. 4.* Similiter uxor innocens dotem recuperat, & donationem lucratur; ut sic aliqua fiat innocenti compensatio, quoad offensam æg adulterio insurgentem, *cap. 4. b. t. Sanchez, de Matr. lib. 10. D. 8. n. 11.* Quod locum habet, etiam in matrimonio putativo, etiam detecta nullitate occulta. *Leg. 81. Taur. L. 4. tit. 20. lib. 8. R. C.* Maritus ergo innocens dotem sibi traditam potest retinere, & adulteram post divortium repetere volentem dotem exceptione adulterii repellere potest; *arg. cap. 4. b. t. Adultera verò non obligatur in conscientia donationem restituere, vel dotem tradere ante sententiam Judicis, quippe hæc amissio est pœna, ad quam solvendam ante sententiam Judicis obligatio non datur; arg. cap. 19. de Hæret. in 6. Sic Host. Abb. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 1. Barb. in cap. 4. b. t. n. 12. Sanchez, de Matr. L. 10. D. 8. n. 13.* Quando uterque adulterii reus est, delictum compensatur, *cap. fin. de Adult. L. 39. L. 47. ff. Solut. Matr.* si adulter liberos habeat ex illo, vel ex alio matrimonio, innocens solum usufructum dote, vel donatione, dum vivit, habet, proprietatem tamen ad filios pertinet. *L. 23. tit. 11. p. 4. Sanch. de Matr. L. 10. D. 8. n. 12. Gomez, in cap. 4. b. t. n. 12.* Si maritus in adulterium uxoris consensit, vel eam prostituit, vel leno fuit, non lucratur dotem. *L. 47. ff. Solut. Matr.* Si post adulterium commissum conjuges reconciliantur expressè, vel tacite cohabitando, etiamsi post judicium coemptum: imò, & sententiam latam, fiat reconciliatio, censetur actio, & injuria remissa ab innocente: ac proinde hic non lucratur, nec dotem; nec donationem adulteri, *cap. 4. b. t. Sanchez, de Matr. L. 10. D. 8. ex n. 21. Barb. in cap. 4. b. t. n. 14.*

TIT. XXI.

De Secundis Nuptiis.

192 Secunda nuptiæ, quo nomine tertiæ, quartæ, & ultiores comprehenduntur, licitæ sunt, Sacramentumque matrimonii constituunt, ut contra Tertullianum, Novatianos Hæreticos, & alios constat ex Apostol. 1.

Cor. 7. v. 39. ubi de muliere loquens ait: *Si dormierit vir ejus, id est, si moriatur, liberata est: cui vult nubat.* Et 1. *Timot.* 5. v. 14. loquens de viduis, ait: *Volo juniores nubere, cap. 11. §. 1. ibi: Non damari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo, & secundo marito nubere, cap. 4. cap. fin. b. t. L. 1. tit. 12. p. 4.* Et ex antiqua, & universali Ecclesia praxi constat secundarum, & ulteriorum nuptiarum usus. Et quidem tempore S. Damasi Pontificis, quaedam mulier successivè nupsit viginti duobus viris, quorum ultimus viginti uxores sepeliebat, testè D. Hieronym. Deindè secundum matrimonium esse Sacramentum probatur à D. Thom. in 3. p. *Suppl.* q. 63. art. 2. in corp. ibi: *Respondet dicendum, quod ubicumque invenitur illa, qua sunt de essentia Sacramenti, ibi est verum Sacramentum: unde cum in secundis nuptiis inveniantur omnia, que sunt de essentia Sacramenti matrimonio (quia debita materia, quam facit personarum legitimitas, & debita forma, scilicet expressio consensus interius per verba de presenti) constat, quod etiam secundum matrimonium est Sacramentum, sicut primum.* Et licet in secundis nuptiis desit aliquomodo significatio Sacramenti, quia non est una unius, nil ipsis deest de essentia Sacramenti: alias non valeret matrimonium contractum cum corrupta ab alio: & licet antiquitus imponeretur poenitentia secundo nubentibus, cap. 8. §. 1. q. 1. non ex hoc nuptiæ improbantur: sed puniebatur contempnentia: & inordinatus affectus secundo nubentium. D. Thom. in 3. p. *Suppl.* q. 63. art. 1. ad 3. *sanè in cap. 9. §. 1. q. 1. reprehenditur abusus contrahendi cum secunda uxore secundum sensum Legis antiquæ, qua post libellum repudii nova conjugia permittebantur. Quæ Lex, cum sit à Christo. D. correctæ, certè secunda conjunctio, non matrimonium, sed fornicatio erat.* Ut Poeta dixit: *Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* Laudabile tamen erit à secundis nuptiis abstinere amore continentia: ac proinde conjux potest legare aliquam quantitatem uxori sub conditione, quod non nubat. Nam hæc conditio honesta est, & eedit in honorem, & amorem prioris conjugis, nec absolutè impedit matrimonium: sed tantum sub conditione, si tale lucrum percipere velit: ac proinde, si vidua velit legatum percipere, cautionem præstabit, de eo cum fructibus res-

tituendo, casu, quo alteri nubat. Et post annum luctus sub hac cautione tradetur. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 87. n. 29. Et D. 91. n. 16. Gonz. in cap. fin. b. t. n. 9.* Quod si hæc conditio apponatur hæredi, vel legatario, qui numquam matrimonium contraxit, pro non adjecta habetur, siquidem favorabiliores sunt primæ nuptiæ, quam secundæ. L. 22. L. 72. §. 5. ff. de *Condit. & demonstr.* Profecto ut quis licitè possit ad secundas nuptias transire debet habere nuntium certum de prioris conjugis obitu, cap. 19. de *Sponsal.* ubi sumere debemus: *nuntium certum in neutro genere, id est, relationem certam, vel si in masculino sumatur: nuntius certus est qui nuntium certum affert: ita ut moralis certitudo habeatur; arg. cap. 2. b. t. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 3. n. 3. Sanch. de Matr. L. 2. D. 46. n. 6. & de hac existimatione, & verisimilitudine intelliguntur, cap. 1. §. 4. q. 1. cap. fin. §. Porro, ut licet non contestat: nec sufficit probabilitas de morte alterius, cum agatur de valore Sacramenti, & de magno tertii præjudicio, scilicet, prioris conjugis, si forte superstes sit, qui non debet in dubio spoliari jure suo. Nec sufficit præcisè absentia conjugis, quantumvis diuturna sit: ut contra L. 6. ff. de *Divort. & L. 6. C. de Repud.* constat ex cap. 19. de *Sponsal.* *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 46. n. 1. Barbos. in cap. 1. b. t. n. 4.**

193. Habebitur certitudo moralis si de morte conjugis per scripturam deponant Magistratus Ecclesiasticus, vel Politicus, vel Militaris, vel Notarius publicus, vel alia persona publicam fidem habens, vel Parochus, quia est quasi Notarius publicus, vel duo testes etiam consanguinei asserentes, si se interfuisse morti, sepultura, vel exequiis, vel vidisse sepulchrum conjugis; arg. L. 12. ff. de *Testib.* cap. 23. eod. unius tamen testimonium non est sufficiens. *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 46. n. 12. cum aliis contra Hostiens. Abb. & alios, nisi tale testimonium coadjuvetur aliis conjecturis, & adminiculis; v. g. si maritus erat senex, vel æger, vel interfuit prælio periculoso, vel morabatur in loco peste infecto, vel ingressus est navigationem periculosam. Vel si plures testes inveniantur, qui ejus obitum audierunt, vel quid simile. Nam his conjecturis concurrentibus sufficit unius fidedigni testimonium, si alia plenior probatio pro ratione locorum, nequeat haberi; arg. L. 5. §. 6. ff. de *Re milit.* Nec sola fama sufficit, nisi cum similibus con-*

conjecturis concurrat. Et tunc debet plenè per duos testes fama ipsa probari: qui quidem se à majori parte populi, & quidem non à pueris, vel fœminis, sed à viris gravibus, & fidedignis audisse deponant. Et quod simul concurrat causa rationalis, ex qua fama oritur; v. g. si conjux navigavit, & non compareat navis, vel si post prælium non invenitur, &c. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 46. n. 16.* Parochus, cui constat per certitudinem moralem de morte conjugis potest illum alteri copulare; arg. cap. 31. de *Reg. jur.* in 6. si dubitet, consulat Ordinarium, qui solet, quando probatio non est adeo perfecta, conjugi deferre juramentum, quod credat, suum conjugem mortuum. Sed extra hunc casum testimonium conjugis, ut in re propria deponentis non attenditur. L. 10. ff. de *Test.* Deniquè, cum regula generalis non possit dari, quæ certitudinem moralem præscribat, hoc relinquatur Judicis prudentis arbitrio. *Grægor. Lop. in L. 8. tit. 9. p. 4. V. Algunos. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 46. n. 7.* Si tempore matrimonii contracti, uterque conjux habuit dubium rationale de conjugis morte, cum uterque sit in mala fidei possessione, neuter petere, aut reddere debitum potest, donec dubium deponatur, & habeant judicium probabile de morte alterius, antequam secundum matrimonium contraheretur. Nec requiritur moralis certitudo, nec major probabilitas. *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 42.* Si alter tantum cum hoc dubio contraxit, eo stante, reddere debet, ne conjugem privet possessione conjugii initi bona fide ex sua parte: ipse tamen petere nequit, quia mala fide possidet, cap. 44. de *Sent. excomm.* cap. 2. b. t. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 42. ex n. 2. Barb. in cap. 2. b. t. n. 1. & 3.* Quando matrimonium jam est contractum non obstat dubium leve, à personis levibus ortum, quibus conjux non tenetur credere, cap. 44. de *Sent. excomm.* *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 41. n. 42.* Si dubium rationale matrimonio superveniat, non potest dubitans, stante dubio, debitum petere, licet reddere valeat petenti bona fide: secus si mala fide petat: nam tunc non habet jus petendi, nec alter reddendi. Sic ergo dubitans inquirere diligentè veritatem tenetur. Quod si adhuc dubium, post talem diligentiam, perseveret, cum in dubio melior sit possidentis conditio; reddere, & petere liberè potest. Nec est necesse, ut in dubio pratico tutio-

rem viam sequat, cap. 3. de *Sponsal.* cap. 12. de *Homicid.* quia tunc solum dubitant an sit verum, & legitimum conjugium; non verò an liceat usus matrimonii. Si quidem hic à jure conceditur, cap. 44. de *Sent. excomm.* *Soto de Just. lib. 4. q. 5. art. ult. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 41. mon. 47.* conjux, qui post contractum matrimonium scit certitudinem moralem, suum conjugem vivere, cum secundum matrimonium nullum sit ob impedimentum ligaminis, non potest, nec petere, nec reddere, quamvis censura compellatur, quippè talis conjunctio esset fornicaria: est quam nullus mali metu potest compelli, cap. 13. de *Restit. spol.* cap. 44. de *Sent. excomm.* cap. 2. b. t. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 39. ex num. 5. D. Thom. in 4. D. 27. q. 1. art. 2. q. 4. Bonav. D. Antonin.* sed tenetur primum matrimonium restaurare, & priori conjugi, relicta secunda cohabitare, cap. 2. b. t. si tamen conjux jam sit mortuus, licet tempore contracti matrimonii esset vivus, hoc matrimonium potest novo consensu utriusque ratificari, & in eo validè, & licitè perseverare valent.

194. Duo genera poenarum statuit Jus Civile adversus transeuntes ad secundas nuptias; quarum alia stabiluntur in odium mulierum, quæ intra annum luctus, scilicet, nondum elapso anno à morte mariti, contrahunt secundas nuptias, L. 1. L. 2. cap. h. t. L. fin. tit. 12. p. 4. ut hac prohibitione confusio, & perturbatio seminis, & sanguinis utriusque viri, & per consequens patris incertitudo vitetur: & etiam, ut marito defuncto, quem mulier lugere debet, reverentia debita servetur. Alia sunt in favorem liberorum prioris matrimonii statuta, quæ quidem, nullis existentibus liberis, vel ante parentem binubum mortuis cessant. L. 3. §. 1. cap. h. t. Poenæ contra viduam nubentem intra annum luctus in ejus odium inducta, & quæ nubendo ipsa incurrit, sunt quinque. Nam 1. ipsa fit infamis. Et hanc quidem infamiam participat vir eam ducens. 2. Fit in capax acquirendi ex hereditate, legato, vel alia ultima voluntate, nisi quid ipsi à marito relinquatur. 3. Nequit secundo marito ultra tertiam partem suorum bonorum relinquere, etiam si nulli liberi prioris matrimonii extant. 4. Non potest suis consanguineis ultra tertium gradum succedere. 5. Amittit omnia, quæ titulo hereditatis, legati, vel donationis mortis causa, vel propter nuptias, ei reliquit pri-

primus maritus. Et quidem si intra annum luctus nubat, acquiritur consanguineis mariti ab inestato venientibus; si verò nubat post annum luctus usufructum retinet. Hæc pœna, quæ expressè contra uxores sunt statuta. *L. 1. cap. b. t. ad viros non extenduntur.* Siquidem, nec perturbatio, & confusio seminis, & sanguinis, nec item incertitudo prolis timeant, etiãsi viri intra annum luctus contrahat: nec ipsi lucere uxores tenentur. *L. 9. ff. de His, qui not. infam.* ac proinde cessante omninò ratione nequiquam extenduntur tales pœnæ ad viros, quantumvis uxorum sint correlativi. Jure tamen Canonico est sublata pœna infamiae imposita Jure Civili secundo nubentibus, ut expressè cavetur in *cap. 4. cap. fin. b. t.* Et idem est de Jure Hispano. *L. 3. tit. 1. lib. 5. R. C.* Imò ob paritatem rationis, & reliquæ pœnæ supradictæ censentur ablatæ. Nam cum secundum matrimonium non solum sit licitum, sed & aliquando maxime expediens, ut periculo animarum subveniant, debet esse liberum, ac proinde non solum pœna infamiae, sed & reliquæ abesse debent, ne matrimonium libertas infringatur. Et quidem censentur tales pœnæ ablatæ, non solum, quoad forum Ecclesiasticum, sed etiam quoad Saculare: nam in materia matrimonii, utpotè Sacramenti non Jus Civile, sed Canonico, ubique, & in omni Tribunali servandum est; *arg. cap. 4. cap. fin. b. t. cap. fin. de Præscript. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 7. num. 23.* plurimos citans.

195 In favorem liberorum prioris matrimonii sunt pœnæ sequentes statuta: 1. est quod vidua secundo nubens amittat proprietatem omnium, quæ à priori marito adquisierat titulo lucrativo, scilicet, donationis, vel ultimæ voluntatis: solùmque usufructum retineat; proprietatem tamen liberis prioris matrimonii servetur. *L. 3. C. b. t. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 88. n. 2. Gonz. in cap. fin. b. t. n. 5.* 2. Mulier non potest ex bonis suis marito secundo plus relinquere, sive inter vivos, sive in ultima voluntate, quam uni ex liberis prioris matrimonii. Si verò ipsi ex inæqualibus partibus insituantur, non plus relinquere valet marito, quam cui minimam partem relinquit, si hæc legitimum attingat. *L. 6. L. 10. C. b. t.* ne liberos bonis privet, & ea in maritum insano amore capta effundat. Hæc duæ pœnæ non solum mulierem, sed & maritum secundum contrahentem comprehendunt.

L. 5. C. b. t. siquidem in utroque militat eadem ratio. 3. Tutelam, & curatellam liberorum amittit. *Auth. Sacramentum, C. Quand. mulier tutel.* Sed debet Judicem adire, rationem tutelæ dare, debitum solvere, & novum Tutorem liberis petere. Nec tutelam semel amissam recuperat, etiam mortuo secundo marito. Non tamen amittit executionem testamenti à marito ipsi commissam, etiam secundo nubat. Ut contra alios tenent *Covarr. Greg. Lop. Matienz. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 88. n. 14. & alij. 4.* Amittit liberorum educationem: qui ab ea sunt separandi, & alibi educandi. *L. 1. C. Ubi pupilli educar.* Sed in hoc attendenda est cujuslibet loci consuetudo, cum arbitrium sit attentis circumstantiis, an mater privanda sit, vel non educatione liberorum. Et ita decisum in Regio Granatensi Prætorio testatur. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 88. n. 17.* contra alios aliter sentientes *apud ipsum, n. 16.* Hæc duæ pœnæ patres secundo contrahentes non comprehendunt. Nam patre existente, liberis, si non sint emancipati, non datur Tutor; sed ipse pater est legitimus administrator, gaudetque usufructu bonorum maternorum, filiis proprietate reservata. *L. fin. C. de Bonis matern.* Nec pater aliquo jure educatione liberorum privatur. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 88. n. 12. & 20. 5.* Mulier, nubens viro inferioris conditionis, quam erat prior maritus, amittit privilegium honoris prioris mariti: quo tempore viduitatis gaudebat, quia sub priori matrimonio considerabatur: ad secundas vero nuptias transiens, jam non sub illo censetur, ac per consequens ejus privilegio caret. *L. 13. C. de Dignit. lib. 12. L. 7. tit. 2. p. 4.* ibi: *E aun ha otra fuerza el casamiento, segun las leyes antiguas, que maguer la muger fuesse de vil linage, si casare con Rey, debiela llamar Reyna; é si con Conde, Condesa, é am despues que fuere muerto su marido, la llamarán asi, si non casare con otro de menor guisa.* *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 88. num. 31.* *Gonz. in cap. fin. b. t. n. 5.* Hæc tamen pœnæ, cum nullo Textu Canonico sint sublata, & ratione justissima fundentur, quatenus indemnitati liberorum prioris matrimonii consulunt, ne à Parentibus amore secundi conjugii, suis bonis spoliarentur, hodie, etiam de Jure Canonico vigent, & servari debent. Nec enim verè sunt pœnæ, sed dispositiones justæ, & laudabiles; *arg. L. 4. tit. 1. lib. 5. R. C. & ibid. Acced. Greg. Lop. Molin. Sanch. de*

de *Matrim. lib. 7. D. 88. n. 39. Barbos. & Gonz. in c. fin. b. t. n. 9.* si vidua intra annum luctus fornicetur, incurrit pœnas statuas adversus viduas transeuntes ad secundas nuptias intra annum luctus. *L. 3. tit. 12. p. 4.* nec enim Jus Canonicum patrocinans matrimonio debet fornicationem, & culpas fovere. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 90. n. 1.* Non tamen obligant in conscientia ad restitutionem ante sententiam declaratoriam Judicis. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 90. n. 11.* ubi accuratè examinatur; quas pœnas in specie incurrat. Et quamvis *Anton. Gom. in L. 14. Taur. n. 17. & alij ob L. 9. tit. 12. lib. 3.* fori dicant, quod vidua etiam post annum luctus fornicans, amittit legata à viro relicta: tamen cum ex *L. 3. tit. 12. p. 4.* hæc pœna ad fornicationem intra annum sit restricta, & aliunde Leges fori solum obligent, quando usu admittæ sunt, & de talis Legis admisione non constet, dicendum est, quod non extenditur ultra annum luctus prædicta pœna, adhuc in nostra Hispania. Sic *Acosta, Fello, Matienzo, Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 90. n. 6.* ut verò certum est, quod in nostra Hispania vidua in quocumque tempore luxuriosè vivat non quatenus semel, aut iterum fornicetur, sed quatenus fornicationis vitio assuefacta est, vel more meretricio vivit: amittit lucra constante matrimonio acquisita, & mariti hæredibus debent restitui. *L. 5. in fin. tit. 9. lib. 5. R. C.*

196 Nuptiæ primæ, non tantum ex consilio sunt benedicendæ, sed ex præcepto. *c. 3. c. 5. 30. q. 5.* saltem sub veniali obligante. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 82. n. 6.* conjugium tamen, quod non est benedictum validum quidem est, non tamen legitimum. *c. 1. 30. q. 5.* hoc est, non est conforme Legibus Ecclesiasticis. Qui tamen ante benedictionem consummat matrimonium vix veniale culpam committit, imò, & nullam, quando periculum incontinentiæ, vel alia justa causa adest. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 12. ex n. 7.* Hujusmodi benedictiones sunt quedam cæremonia, precepta, & oblationes sacræ, quæ in solemnitate nuptiarum adhibentur. *c. 1. 30. q. 5.* Et sanè ab Ecclesia sunt institutæ ad exemplum ipsius Dei, qui nostros protoparentes in Paradiso benedixit, & etiam ad honorem Sacramenti, & ad impartiendam conjugibus gratiam ad onera matrimonii, & prolis educationem. Ideò anathematizatur, qui tales cæremonias, & benedictiones dam-

nat. *1. vid. sess. 24. de Sacram. Mat. Can. 11.* Et hæc benedictiones, quæ Hispani: *Vellaciones* dicuntur sunt: quæ præbentur tempore Adventus, & Quadragesimæ. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 10.* Benedictio nuptiarum spectat ad Parochum utriusvis contrahentis: & ad nullum alium, sive Sacularem, sive Regularem, sine Parochi vel Ordinarii licentia. Quod si aliqui aliter Parochiæ sponsos, sine Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debeat, seu à quo benedictio suscipienda erat absolvarur. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 82. n. 2.* Quando vel vir, vel mulier disjunctivè suscepit benedictiones, non sunt benedicendæ secundæ nuptiæ nec est necessarium, quod uterque simul benedictionem suscepisset. *c. 1. c. 3. b. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 82. n. 15.* adeò ut si benedictio interfuit in matrimonio quod postea irritum apparuit, non sit in secundo repetenda, siquidem benedictio non nuptiis, sed potius personis impenditur. *c. 3. b. t. Sanch. de Matr. L. 7. D. 82. n. 16.* licet enim benedictio non sit Sacramentum, non est iteranda in eadem persona, sicut non reperuntur alia benedictiones solemnes rerum, vel personarum, ut pater in consecratione Ecclesie, altaris, & virginum, ne repetitione vilescat. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 82. n. 16.* Pœna suspensionsis ab officio, & beneficio inflicta Sacerdoti benedicienti secundas nuptias, in *c. 1. b. t.* est casus specialis, nec constituit pœnam ordinariam huic delicto; quia esset nimis gravis. *Navar. Rodrig. Diaz Pract. Crimin. c. 74. n. 2. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 82. n. 2.* si alicubi alia consuetudo, vel statutum particulare vigeat circa benedictionem secundarum nuptiarum, hoc debet attendi. In pluribus locis, præcipuè in his partibus Indiæ viget consuetudo, quod nuptiæ benedicuntur, etiamsi secundæ sint quando alter eorum: sive vir, sive femina benedictionem non suscepit. Sic *Enria. Perez, & alij cum Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 82. n. 23.* imò in *L. 2. tit. 12. p. 4.* habetur, quod etiam nuptiæ secundæ benedicantur, & Textus prohibentes benedictionem secundarum nuptiarum intelligit prædicta Lex de nuptiis contractis durante matrimonio primo: quæ sanè illicitæ, & invalidæ sunt. Nec ex prohibitione be-

nedicendi secundas nuptias debet deduci, vel secundas nuptias non esse licitas, vel non constituere verum Sacramentum, sicut neutrum ex his infertur, licet ab Ecclesia sit bigamis imposita irregularitas. Nam ad hæc respondetur cum D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 63. art. 2. ad 2. Dicendo, quod secundum matrimonium, quamvis in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen consideratum in ordine ad primum, habet aliquid de defectu Sacramenti: quia non habet plenam signi-

ficationem, cum non sit una unius, sicut est in matrimonio Christi, & Ecclesie. Et ratione hujus defectus benedictio à secundis nuptiis subtrahitur, sed hoc est intelligendum, quando secunda nuptia sunt secunda, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Et postea: Ad tertium dicendum, quod significatio perfecta, invenitur in secundo matrimonio, secundum se considerato, non autem si consideratur in ordine ad præcedens matrimonium, & sic habet defectum Sacramenti.

LIBER V. DECRETALIAM.

TITULUS PRIMUS.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, & Denuntiationibus.

IN Libro II. Decretalium præscribitur modus procedendi civiliter: nunc agitur de modo procedendi criminaliter: & quia tripliciter solent deluci in iudicium delicta, scilicet per accusationem, inquisitionem, & denuntiationem, de his nunc ordine in rubrica præscripto agendum est. In accusatione debet, præcedere accusantis inscriptio ad talionem, si non probaverit; in denuntiatione monitio charitativa; neutrum requiritur in inquisitione; sed sufficit, vel diffamatio, vel indicium, *cap. 24. h. t.* Accusatio, queremonia, seu actio criminalis est delatio rei criminis apud competentem Judicem ad publicam vindictam solemniter facta. Differt ab inquisitione, quia ad hanc non requiritur delatio, sed sufficiunt fama, & indicia; à denuntiatione, & actione: quia hæc non semper fiunt causa publicæ vindictæ, nisi tantum mediata. Actio enim utilitatem privatam agentis respicit: denuntiatione delinquentis correctionem: accusatio publicam vindictam, & utilitatem per delinquentium punitionem procurat: & ab utraque differt in solemnitate, qua debet fieri, accusatio, olim scilicet in scriptione ad poenam talionis, hodie cautione, de satisfactione præstanda.

2. Accusatio regulariter debet proponi in scriptis, & in libello. *L. 3. ff. h. t. L. 14. t. 1. p. 7.* vel si viva voce proponatur, debet Notarius eam in actis scribere, nisi causa levis sit. In libello enim debet exprimi. 1. nomen Judicis, ut constet an sit competens, vel non; accusatio enim criminalis non potest coram arbitris tractari, *cap. 9. de Integr. restitut. L. 32. S. 6. ff. de Recep. qui arbitr. Sed. Tom. II.*

coram Judice, qui saltem mixtum imperium habeat, & cui accusatus sit subiectus, vel ratione domicili, vel loci delicti, *cap. fin. de For. competent. 2.* Nomen, & cognomen accusantis, & accusati, ut appareat, an possit accusare, & accusari. 3. Crimen in specie, ut justè illud propria mensura Judex valet punire. 4. Locus criminis, & tempus, scilicet annus, & mensis commissi delicti: dies non debet exprimi, quia cum facillè quis possit oblivisci dici, vel hebdomada nimis facultas accusationis, & probationis restringeretur, nisi ejus expressio sit necessaria ad rei defensionem, ut probet coarctatam, nam tunc, reo exigente, dies exprimi debet. 5. Inscriptio, vel subscriptio accusatoris ad poenam talionis, ut sic accusantium temeritas coerceretur, *cap. 16. h. t.* Hodie poena talionis non est in usu, ac proinde nec inscriptio ad ipsam, ne hujus metu homines ab accusando delicta, cum Reipublicæ damno deterreantur, sed ejus loco accusator cavet per idoneos Fidejussores, & pignora de accusatione prosequenda, usque ad finem Judicii, de injuria, & omni damno resarcendo, expensisque solvendis, si accusator succumbat. *L. 7. S. 1. ff. h. t. L. 3. C. de his, qui accus. non possunt.* Si non præstet cautionem jubetur arrestari ejus persona, & in carcere custodiri; *arg. L. fin. cap. h. t.*

3. In libelli conclusione non est necesse petere poenam determinatam, sicut petitur determinata quantitas in libello civili, sed relatione facta de delicto, ipsa Lex poenam concludit, quam moderari non est in arbitrio accusatoris: ideo probato delicto licet dies, quo fuit commissum, vel qualitas in libello expressa non probetur, sequi debet rei condemnatio; quia Judex ex officio po-

test, suppleret defectum libelli, ut iudicium sustineatur: posita accusatione potest Iudex accusatum, ut personaliter compareat citare; *arg. cap. 1. h. t. in 6.* non solum verbaliter, sed etiam realiter, eum apprehendendo per milites, sictores, satellites, aut alios publicos Ministros, quibus credendum, & parendum est, licet nihil da mandato Iudicis doceant, si commissionem expressam, se habere asserant. Ut tamen incarcerationi possit, debet constare per certa, & sufficientia indicia conjecturas, vel alias probationes de delicto commissio ab accusato. *L. fin. C. de Custod. reor.* Iudex aliquem temere incarcerans, vel innocenter diutius detinens, cum gravem ei injuriam, & irreparabile damnum inferat in Syndicatu tenetur, & actio injuriarum competit gravato adversus Iudicem. *L. 32. ff. de Injur.* Et hinc licet in gravioribus delictis non admittatur fidejussor, siquidem hic ad capitalem, vel corporalem poenam gravem, nequit obligari; in levioribus tamen, quae tantum pecuniaria, vel levi poena corporali ponuntur, debet Iudex incarcerationum cautione praestita, iudicio sisti, & iudicium solvi dimittere, alias ei de injuria tenetur. *L. 1. ff. de Custod. reor. Menoch. de Arbitr. cas. 303. num. 3.*

4 Accusator tenetur probare crimen, quod objicit accusato, *cap. 2. 2. q. 8.* quod si in probatione deficiat, ut temerarius litigator ad expensas tenetur, & Jure Canonico similis calumniator, praeter poenam talionis, vel aliam extraordinariam, debet agere *Carenam*, seu quadragenam, hoc est jejunium in pane, & aqua 40. diebus, & septem sequentibus annis poenitentiam, sed si accusatus membro mutiletur, per tres quadragesimas, poenitere debet, *cap. 8. h. t.* & quamvis de Jure Hispano sit admissa poena talionis, in *L. 26. tit. 1. p. 7. ibi: E dar al acusador aquella mesma pena, que daría al acusado;* tamen per contrariam consuetudinem est talis poena abrogata; ut notat *Gregorius Lopez in L. 13. tit. 9. p. 4. V. A pena de talion: & semel inscriptione facta post libelli oblationem, vel litis contestationem non potest accusator ab accusatione desistere, nisi veniam Magistratus impetraverit, justa de causis v. g. quia accusatio ex errore processit, quod si desistat ab accusatione criminis privati, sine Iudicis, & partis consensu, poena extraordinaria Iudicis arbitrio est puniendus; si crimen publicum sit, in-*

famiam incurrit, in expensis, & damna condemnatur, & in 5. libras auri fisco applicandas: publice enim interest, accusationem prosequi; si enim vera est, accusatus puniatur, si falsa, ut coerceretur temeritas accusatoris. Hinc etiam mortuo accusatore Iudex ex officio causam, prosequi tenetur. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 8. ex n. 11.* Accusator potest libere, & impunè ab accusatione desistere ante libelli oblationem, & tunc ipsi perpetuum imponitur silentium, *c. 14. h. t.* post libelli oblationem potest, imò & debet desistere, si advertat, accusatum esse innocentem, vel saltem se non posse crimen obiectum probare; quin & calumniatoris poenam vitabit; si probet ex errore probabili processisse ad accusationem, vel copiam probationis ipsi esse subductam ob testium mortem, absentiam, vel malitiam. Accusatione pendente criminis gravis (secus si leve sit) accusatus ad vindictam (secus ad privatam utilitatem accusantis) non potest promoveri ad dignitatem Ecclesiasticam, vel Saecularem, *cap. 4. h. t. L. 7. ff. de Muner. nisi accusatio per calumniam, vel animo promotionem impediendi sit imposita: ut sic dolo, & fraudibus obvietur; arg. L. 29. ff. de Liberal. caus. non tamen prohibetur ei uti dignitatibus, & honoribus, quos jam obtrinebat, nam facilius jura conservantur, quam adquiruntur; arg. L. 8. ff. de His, qui sui.* Accusatione probata ad poenam ordinariam, si jure statuta est, vel arbitriam extraordinariam, si non est statuta, condemnatur Iudex accusatum, *cap. 12. h. t.*

5 Edictum de non accusando est prohibitorium, ac proinde accusare possunt omnes, quibus non prohibetur specialiter. *L. 8. L. 9. L. 10. ff. h. t. cap. 14. 2. q. 1.* Prohibentur furiosi, mente capti, im-pubescentes: (majori verò 14. annis de consuetudine permittitur) mulier, servus: infamis, sive infamia juris, sive facti non potest accusare, Jure Canonico attento, *cap. 17. cap. 9. 1. licet Jure Civili, solum infamia Juris ab accusando excludat. L. 4. ff. h. t. Criminosus, & quidem de Jure Canonico, etiam non accusatus: de Jure tamen Civili non repellitur nisi ejus nomen inter reos receptum sit: qui pecunias ad accusandum receperunt; qui duo judicia habent adversus duos reos subscripta; qui sobornati falsum testimonium dixerunt: excommunicatus excommunicatione majori, secus si minori tantum ligatus sit; *arg. c. 7. de Judic. c. 1. de Ex-**

Exception. in 6. Inimicus capitalis, vel alias valde infestus. *c. 13. h. t.* cohabitantes cum inimicis. *c. 7. h. t.* Judaeus, Paganus, & Hæreticus nequeunt accusare Catholicum. *c. 15. 2. q. 7. nec Laicus Clericum. c. 10. h. t.* Surdus, & mutus à nativitate (secus si ex accidenti), præcipue si sciant scribere; *arg. L. 43. ff. de Procurat.* descendentes, etiam naturales, & spuerii nequeunt ascendentes accusare; nec Discipulus Magistrum: nec libertus patronum, vel ejus hæredem: nec alumnus educatorem: nec vassallus Dominum: hoc enim est contra gratitudinem ipsis debitam, ipsa natura hoc dicente. *L. 8. ff. h. t. L. 17. C. de His, qui accusat.* Familiaris non potest cum, cujus est familiaris accusare. *L. 20. C. de His, qui accusat.* familiares Episcoporum, etiam Regularium, vel aliorum Prælatorum, ac proinde Monachi, & etiam fratres Laici vel conversi ad suorum Prælatorum accusationem admittuntur, si agatur de utilitate Ecclesiae, vel Monasterii, & tam accusanti, quam accusato ministrandæ sunt expensæ ad litem, si proprio peculio careant. *c. 3. c. 5. h. t. Barbos. & Gonz. ibid. & alii com.* Milites, qui in expeditione, & castris sunt non possunt accusare, nec disciplinam militarem deserant: quæ ratio cum cesset in militibus ad custodiam Civitatum deputatis, accusare poterunt: si hoc Judici videatur. *Gonz. in c. 1. h. t. n. 8.* Magistratus accusare non valet, ne ejus potentia accusatus opprimatur. *arg. L. 32. ff. de Inj. Clerici, & Religiosi non possunt Laicos ad vindictam accusare, etiamsi poena sanguinis non timeatur. c. 6. 2. q. 7.* accusatio enim illaudibilis intentionis genus est. *c. 50. 2. q. 7.* cui non decet Clericum, vel Religiosum immiseri, ac privatæ injuriæ satisfactionem: potest tamen Clericus, vel Religiosus accusare sine timore irregularitatis, etiamsi poena sanguinis imponenda sit, dummodo protestetur, se non intendere poenam sanguinis, vel aliam corporalem; alias Laici occasione ex hoc vexandi Clericos impunè sumerent. In nostra Hispania non potest procedi in causa adulterii, nisi accuset maritus suam uxorem adulteram. *L. 2. tit. 19. lib. 8. R. C.* etiamsi adulterium sit mixtum cum incestu; nec maritus potest unum adulterum accusare, quin simul alterum accuset, etiamsi absens, dum in vivis sit. *L. 2. tit. 20. lib. 8. R. C. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 8. n. 2.* omnes prædicti, exceptis furiosis, infantibus, & amentibus, ad

accusandum admittuntur in criminibus læsæ Majestatis, hæresis, falsæ monete, annonæ fraudatæ, simoniæ, &c. *L. 7. & 8. ff. ad Leg. Jul. Majest. c. 10. de Hæretic.* vel quando prosequuntur suam, vel suorum injuriam usque ad 6. vel quartum gradum, secus si ex accidenti, præcipue si sciant scribere; *arg. L. 12. C. de His, qui accusat. c. 1. & 12. 15. q. 3. & quando agitur de publica utilitate; arg. c. 3. c. 5. c. 11. h. t.*

6 Hodie tamen Iudex, etiam nullo privato accusante, procedit in quocumque delicto, scilicet ad instantiam procuratorum fiscalium, qui ex officio crimina tenentur deferre; multoque magis procedit Iudex, quocumque licet inhabili accusante; nam ejus querela viam aperit Judici ad inquisitionem delicti. Et cum accusatio propriè talis ferè abrogata sit per consuetudinem, in judicio Ecclesiastico Promotor Fiscalis tenetur ex officio crimina accusare: in Tribunalibus Regis Supremis etiam sunt Procuratores Fisci, qui Hispanè: *Fiscales* appellantur, *ex tot. tit. 13. lib. 2. R. C.* in aliis Tribunalibus inferioribus creantur hi Promotores Fiscales, prout necessitas exigit. *L. 14. tit. 13. lib. 2. R. C. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 8. n. 2.* Qui crimen aliquod nequit probare non tenetur, imò nec potest illud accusare, quia se exponeret periculo poenæ calumniatoris impositæ, & famam proximi læderet, quin Reipublicæ consulere, si probare potest, & non aliter bono Reipublicæ, quam accusatione consuli valet, accusare tenetur, quia bonum commune debet privato præferri: ac proinde etiam cum aliquo damno proprio debet accusare; si verò denuntiatione æquè consulitur bono Reipublicæ, potest accusare, etiamsi reus nulla labore infamia, sed non tenetur: imò omittere accusationem erit expediens, meliusque erit denuntiare. *arg. L. unic. C. Ut nemo inuit.*

7 Omnes regulariter possunt accusari, nisi excepti: accusari autem nequeunt 1. Infantes, furiosi, vel amentes, quia non sunt delicti capaces; etiamsi ante furorem, delictum capitale commisissent. Satis hi cum suo furore puniuntur. *L. 14. ff. de Offic. Præsid.* Ebrii possunt accusari, & puniri, etiam ob delictum in ebrietate commissum; sed poena extraordinaria. Etiam qui dormiens aliquod delictum commissit, si ipsum præviderat, potest accusari, & puniri secus si non prævidit delictum, dum erat vigilans. *C. 5. tit. 8. p. 7. Hevia in Cur. Phi-*

Philip. p. 3. §. 9. num. 5. 2. Minores 25. annis non aliter accusantur, quam Curatore dato, etiamsi in patria existant potestate. *L. 4. C. de Authort. prastand. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 9. num. 9.* 3. Papa: qui solum à Deo iudicatur, nisi causa sit hæresis. *c. 6. D. 40. ibi: Hujus culpas redarguere presumit mortaliū nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Nec alii Principes Supremi. 4. Legati Principum, vel alii Magistratus, pendente eorum officio. *L. 12. ff. h. t. 5.* Mortui ante condemnationem, nam morte crimina extinguuntur. *L. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* nec transit in hæredes poena delicti; sed suos tantum tenet Authores. *L. 20. & 26. ff. de Pœnis.* Quando quis ante suam mortem, litè cum eo contestata, & condemnatus ad poenam pecuniariam, illius hæres ad eam tenetur. Crimina læsæ Majestatis, hæresis, reperiendarum (scilicet, si officio publico constitutus pecunias, vel munus accipit, ut suum officium impertiatur, vel ut faciat contra illud) & alia crimina similia etiam reis mortuis, cum quibus nihil actum est, exercentur, ut bona fisco applicentur. *L. 20. ff. h. t. L. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* Et in nostra Hispania idem est quando quis se ipsum occidit. *L. 8. tit. 23. lib. 8. R. C.* imò etiam poena corporali puniuntur. Similiter poena corporali ordinaria puniuntur, etiam post mortem, rei læsæ Majestatis Divinæ, vel Humanæ, & famosus latro; & sic his diebus vidimus in quodam famoso latrone, qui cum fuisset occisus à satellitibus missis ad ejus apprehensionem, postea ejus cadaver fuit à carnifice in patibulo suspensum. 6. Post lapsum temporis, quo accusationi præscribitur, non potest quis accusari, nec Judex debet accusationem admittere, imò repellere, si fortè post lapsum temporis intendatur, etiamsi reus confiteatur delictum, vel alio modo fiat notorium. *Farinac. Prax. Crim. q. 10. n. 14.* hodie quoad vindictam publicam præscriptio non attenditur. De quo vid. *Hevia in Cur. Philip. part. 3. §. 14. in fin.* Si absentes accusentur de crimine, quod mereatur poenam corporalem, vel condemnationem in metallis vel aliam relegationem majorem, eorum bona, à Judice annotantur, hoc est obsignatur, seu arrestantur. *Hispanè: Embargo de bienes.* Si non compareat intra annum, bona fisco applicantur, & ei nulla alia poena inferitur. *L. 5. ff. de Requir. vel absent.*

quia nullus debet inauditus condemnari.

8. Quando verò poena infingenda est solum pecuniaria, vel infamiae, vel relegationis citatur à Judice ad comparandum; quod si legitime citatus non compareat, & non possit realiter citari, seu corporaliter apprehendi, usque ad sententiam perducitur iudicium in absentia, & contumacia, usque ad relegationem. Hodie in quocumque crimine non attentor, nec expectato anno, proceditur contra absentem contumacem, quod si ante sententiam comparet, auditur, & acta præcedentia tantum vim simplicis querelæ habent: si post sententiam apprehendatur, sententia executioni mandatur. In nostra Hispania varii termini ad procedendum tunc conceduntur. Si ad primum non compareat, imponitur poena, quæ dicitur *del desprez*, si ad secundum terminum compareat, debet auditur, sed prius solvere tenetur poenam *del desprez*, & expensas. Si non compareat, & delictum meretur poenam capitale imponitur ipsi poena, quæ dicitur *del bomecillo*. Si ad 3. terminum compareat auditur, sed prædictis poenis, & expensis prius solutis. Si non compareat, textitur ordo judiciarius usque ad sententiam definitivam, quod si intra annum non compareat, imponitur poena pecuniaria, quæ est applicanda fisco, vel parti, & in his postea non auditur, semper tamen, quoad poenam corporalem auditur. *L. fin. tit. 10. lib. 4. R. C. 8.* Qui de uno crimine accusatus ab eo est absolutus, vel condemnatus per sententiam definitivam, nequit de eodem crimine, etiam ab alio accusatore iterum accusari, quia obstat exceptio rei iudicatæ, nec de eodem delicto debet sæpius inquiri, aliàs nunquam reo esset sua innocentia secuta.

9. Tamen potest iterum accusari. 1. Qui absolutus est in foro conscientie tantum, etiam publica poenitentia imposita: hic enim potest in foro externo accusari. 2. Qui tantum absolutus est ab observatione Juidcii, potest ab alio, non verò à primo accusatore, saltem de Jure Canonico accusari. 3. Qui per transactionem vitavit accusationem, licet non possit à primo accusatore, potest ab alio accusari. 4. Si secundus accusator suam, vel suorum injuriam prosequatur, & juret primam accusationem ignorasse. 5. Si prima accusatio per collusionem fuit facta, & hoc à secundo accusatore, saltem per indicia probetur. 6. Si crimen sit mixtum

fori. 7. Si accusatio civiliter tantum ad interesse privatum est posita. 8. Si reus fuit absolutus, vel condemnatus opposita accusatione, non in vim accusationis, sed tantum in vim exceptionis ad excludendum aliqueum à testificando; v. g. & sub his limitationibus intelligitur illud: *Quod res inter alios acta aliis non præjudicat. c. 25. de Sent. & re iudicata. L. 1. & 2. C. Quibus res iudicata.* Quando non specialiter plurium interest, Judex omnibus accusatoribus unum eliger, dignitate, moribus, & ætate digniorem, ut accusationem prosequatur. *L. 16. ff. h. t.* Si plurium interest delictum puniri, omnes possunt accusare, præfertur tamen in accusatione ille, qui in accusando prævenit, quod si simul concurrent, Judex unum eliger dignitate, moribus, & ætate digniorem, qui meliori intentione accusare credatur, ut accusationem possit prosequi. *L. 16. ff. h. t. L. 13. tit. 1. p. 7.* si inter accusatores inveniatur aliquis, qui suam, vel suorum injuriam prosequatur, hic præfertur cæteris ita ut solus hic admittatur, cæteris exclusis, non solum ab accusando, sed etiam à testificando. Si concurrant plures consanguinei ad prosequendam suorum injuriam, propinquo præfertur, & quidem uxor defuncti omnibus, etiam filiis ipsius defuncti, præfertur ad accusandam mortem mariti: quod si electus ad accusandum remittat injuriam, ab omnibus remissa censetur. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 8. n. 8.* Accusatio quoad privatum interesse cessat præscriptione, & transactione; secus quoad vindictam publicam: attamen non imponitur poena mortis, si à parte offensa remittatur injuria, vel pretio, vel gratis; nisi adeo grave sit delictum, quod non aliter possit Reipublicæ offensæ satisfieri, quam morte delinquentis. *L. 23. tit. 1. p. 7. & ibid. Greg. Lop. Anton. Gom. 3. Var. c. 3. ex n. 55. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 9. n. 10.* mortuo accusato cessat accusatio, quoad poenam corporis afflictivam. *L. 1. & seqq. C. Si reus, vel accusator,* quoad damnum parti illatum non cessat, sed transit ad hæredes; quoad poenam pecuniariam, si sententia est lata, transit ad hæredes, secus si adhuc lata non est sententia, quamvis lis sit cum defuncto contestata. *L. 20. ff. h. t.* vel si à sententia fuit appellatum. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 9. n. 12.* In criminibus læsæ Majestatis, hæresis, &c. contra hæredes proceditur, ut bona fisco applicantur: quam-

vis lis non sit cum delinquente contestata. *L. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest. Hev. in Cur. p. 3. §. 9. n. 13.*

10. Cum maxime Reipublicæ expediat, ne delicta maneant impunita, & sæpè desint, qui crimina accusent: idcirco stabilita est inquisitio, qua Judex ex officio procedit ad probationem, & punitionem delicti, quod fama, vel clamor ad aures Judicis detulit, & vicem accusatoris subeunt. *c. 24. h. t. L. 13. ff. de Offic. Præs. Est ergo inquisitio indagatio criminis, vel criminosis legitime per Judicem facta. L. 1. tit. 1. p. 3. ibi: Pesquisa en romance, tanto quiere decir en latin, como inquisitio, è por ella se sabe la verdad de las cosas mal fechas.* Inquisitio alia est simpliciter generalis, seu generalissima, in qua scilicet, nec persona aliqua, nec delicto expressis, solum generaliter ex mero officio inquiritur, an in illo loco, vel Diocesi aliqua crimina comittantur, ut fit in visitationibus. *c. 1. de Offic. Ordin. cap. 25. h. t. in 6. L. 13. ff. de Offic. Præs. Gonz. in cap. 21. h. t. n. 10.* & hæc præparat viam ad inquisitionem specialem; nam si ex ea indicia, & probationes emergant, quibus saltem præsumptivè appareant delictum, & ejus Author, loco diffamationis succedunt, ut inquisitio specialis instituat. In nostra Hispania hæc inquisitio, quæ dicitur. *Hispanè: Visita,* non permittitur, nisi de mandato Regis fiat. *L. 2. tit. 17. p. 3. L. 3. L. 4. tit. 1. lib. 8. R. C.* alia inquisitio est specialis, quando scilicet Judex de crimine certo, & certa persona inquirat: an ipsa illud crimen commiserit. *L. 7. C. h. tit. L. 1. tit. 17. p. 3. Alia est mixta, quando scilicet nulla certa persona expressa, sed expresso certo crimine; v. g. homicidio, vel furto, inquiritur, quinam sit illius auctor? vel quando nullo expresso crimine, expressa tamen persona inquiratur, an talis aliqua crimina commiserit?*

11. Judex potest inquisitionem specialem tribus modis instituere. 1. Ex mero officio, sine accusatione, querela, vel denuntiatione præcedente, & tunc non requiritur, quod Judex super fama recipiat probationem, cum de ea sibi constet, nec fit contestatio litis, & testes etiam post publicatas attestaciones recipi possunt; nam tunc cessat subornationis timor cum semper Judici nota sint dicta testium. 2. Ad denuntiationem Fiscalis. 3. Ad cujusvis privati querelam, qui solum eam Judici proponit, ut procedat ad in-

inquisitionem non tamen vult stare in iudicio tanquam accusator, & tunc debet fama probari, & super ea probationes recipi, & sit litis contestatio cum denuntiante c. 15. de Purgat. Canon. nec recipi possunt testes post publicatas attestations. De levioribus delictis, quorum poena est pecuniaria, vel carceris, quae ad bassam jurisdictionem dicuntur pertinere, non tenetur Iudex inquirere, sed sapius praestat dissimulare. Delicta vero magna, & scandalosa non sunt dissimulanda, sed potius de eis inquirere debet Iudex, nam per illa Reipublicae turbatur pax, & tranquillitas: talia sunt, quae sunt digna ultimo supplicio, vel mutilatione, vel fustigatione, & ad altam jurisdictionem dicuntur pertinere; arg. e. 21. h. t. l. 6. ff. eod. Iudex tantum, potest inquirere, quando habet jurisdictionem criminalem in delictum: & delinquens ipsi subjectus est ratione causae, domicili, vel loci delicti: hinc secularis in Ecclesiasticos nequit inquirere. Ad inquisitionem generalissimam non requiritur delicti fama. l. 1. tit. 17. p. 3. l. 3. tit. 1. lib. 8. R. C. & constat ex Trident. sess. 7. cap. 8. & sess. 21. de Ref. cap. 8. ubi Episcopi, quotannis Dioecesim visitare, & inquisitionem facere obligantur, quamvis nulla fama de delictis commissis, praecedente, & similiter sit in Religionibus: quia cum de nullo in particulari fiat inquisitio, nulli sit injuria: & hac ratione nec praerogatur infamia, cum sit inquisitio mixta, quando nulla persona expressa inquiritur, quis sit author delicti, sufficit enim verisimilis, seu rationabilis delictis suspicio, multoque minus requiritur infamia alicujus personae, nam sine ea generaliter potest inquiri in autorem delicti: sed Iudex non debet testes interrogare in inquisitione generali, an Titulus; v. g. commiserit furtum: nam hoc magis suggerentis, quam inquerentis esse videtur. l. 1. §. 21. ff. de Question. Quando infamia personae, vel inditia sufficientia non dantur, non tenetur testis manifestare Judici, etiam sub juramento interroganti, autorem criminis occultum: quia non habet jus interrogandi de reis occultis, & a fortiori reus occultus a Iudice interrogatus non tenetur se ipsum prodere. Si crimen adhuc esset patrandum, vel continuandum, vel in tertii grave damnum cederet, & aliter non posset declinari, deberet testis autorem manifestare. Quando legitima praecedunt indicia, non solum

testes, sed & ipse inquisitus debent veritatem Judici aperire.

12 Quando inquiritur de persona certa; v. g. an Titius sit reus, delicti perpetrati, debet praecedere infamia. c. 19. c. 21. c. 24. h. t. c. 2. eod. in 6. ita ut rumor de tali crimine, & ejus auctoritate sit sparsus per majorem partem viciniae loci, vel communitatis, ubi sit inquisitio, & non semel, sed saepius ad aures Judicis pervenerit, praecipue si debeat injustitia inquisitio contra Praelatum Ecclesiasticum, quia ejus dignitas, & status est sublimior, & quia Praelati, quasi signum sunt positi ad sagittam. c. 24. h. t. & quidem rumor originem trahere debet non à malevolis, vel maledicis, sed ab honestis, & fidedignis personis; nec sufficit, quod aliquis secreto juret, se vidisse talem hominem delictum commississe, nam Iudex non procedit ad criminis publicam inquisitionem, nisi ex publica scientia, & talis non est, quando infamia aliqua, & clamorosa insinuat non praecedit. Clar. Barb. Gonz. in c. 21. h. t. & solum potest Iudex interrogare de delicto, de quo reus antecessus est infamatus, non vero de aliis delictis, de quibus reus non est diffamatus, nisi cum delicto principali sint connexa; nec potest de socio occulto interrogare, nisi tale sit delictum, quod sine socio nequeat fieri; vel si cum sociis factum esse dicatur, vel quando est exceptum, vel in Reipublica damnum cedit: & processus sine infamia, vel aliis indicibus praecedentibus institutus nullus est. c. 21. c. 24. h. t. Nisi reus cum esset praesens non reclamasset: nam tunc processum approbare, & juri suo renuntiare creditur. c. fin. h. t. in 6. Clar. §. fin. q. 6. n. 9. Farin. q. 9. n. 12. Non tamen requiritur diffamatio. 1. In criminibus laesae Majestatis, haeresis, apostasiae, & aliis in grave damnum Reipublicae; imò, & privati tendentibus: nam in his sufficit suspicio non levis. Barb. in c. 24. h. t. 2. Si adversus delinquentem adsint indicia criminis valde propinqua; v. g. si reus furtiva apud ipsum inveniatur, multoque magis, quando crimen, de quo inquiritur, est conexum cum alio, de quo est convictus, vel diffamatus; v. g. si aliquis sit convictus de adulterio, potest inquiri, an ipse sit author homicidii mariti in lecto adulterae occisi: secus si delicta non sunt connexa: nam etiam diffamatus de uno retinet jus ad famam respectu alterius. 3. Quando Iudex ad inquisitionem procedit

ad

ad denuntiationem alterius, praesertim Officialis publici. l. 7. c. h. t. vel quando venit in notitiam alicujus rei per inquisitionem generalem: etiamsi testis maleficcisset revelando delinquentem non diffamatum. Barbos. in cap. 24. h. t. 4. Quando inquisitus cum esset praesens non reclamavit, nec contradixit: nam tacendo creditur suo jure renuntiare, ac proinde processus contra ipsum formatus valet, cap. fin. h. t. in 6. vel si reus contumaciter absit, quia pro praesente habetur. 5. Quando inquisitio non ad punitionem tendit, sed solum ut corrigatur delinquens, vel damnum vitetur; v. g. si inquiratur de vita, & moribus promovendi ad ordines, vel praelaturam, ne promoveatur indignus.

13 Ut Iudex ad inquisitionem specialem, possit procedere necesse est, quod constet prius de corpore delicti, hoc est delictum verè esse commissum. l. 1. §. 24. l. 5. §. 2. ff. ad S. C. Silanian. nec enim sufficit ut quis condemnatur, quod ipse reus fateatur delictum, si hoc esse commissum non constet, nam nullus est Dominus vitae suae, & suorum membrorum. l. 13. ff. ad Leg. Aquilianam. Inter delicta, quaedam sunt facti permanentis, quae post se vestigia relinquunt, ut homicidium, falsatio monetae, incendium, &c. & de his debet Judici constare per ocularem inspectionem cadaveris, monetae falsae, aedium combustorum, &c. nisi forte non sit manifestabili, quia cadaver in mare projectum esse dicatur. Si de corpore delicti constet: v. g. de morte alicujus, dubitetur tamen, an vulnere, vel veneno, vel fato proprio contigerit, debet cadaver per Judicem, Medicos, vel Chirurgos inspicere, & etiamsi jam sit sepultum effoditur praecedente Ordinarii licentia. Alia sunt delicta facti transients, quae post se vestigia non relinquunt, ut blasphemia, &c. & in his sufficit si Judici per conjecturas, & praesumptiones de illis constet, cum corpus delicti nequeat certo investigari. Farinae. q. 2. n. 4. & 13. Guac. de Defens. reor. c. alii com. Deinde inquisitio debet continere circumstantias delicti: praecipue loci, ac temporis, anni scilicet, & mensis; arg. l. 3. ff. h. t. nisi delictum habeat tractum successivum, vel tantum tempus post ejus patrationem sit elapsum, ut non sit facile testes temporis recordari. Capitula, seu puncta inquisitionis, & nomina testium debent inquisito tradi, ut in ea opponen-

do suas legitimas exceptiones se possit defendere. c. 19. c. 21. c. 24. h. t. Si reus contra quem inquiritur sit jam de eo delicto absolutus, vel actio criminalis praescripta, non potest contra eum inquiri: debetque esse praesens, vel si absens sit debet esse citatus in contumacia, hoc tamen praxi curiarum non servatur. Clar. Si reus inquisitus sit legitime convictus, vel confessus, poniendus est a Iudice. Si nec convictus, nec confessus, defertur ipsi juramentum purgationis: quod si noluerit subire, pro confessio habetur. l. 2. §. 6. & 7. C. de Jur. jur. propter calumniam, quod si praestiterit, etiam ab expensis absolvitur.

14 Est, & alia inquisitio, quae dicitur *severa*, seu *durior*, scilicet *tortura*: ad quam non est deveniendum, quoties reus per testes de visu, vel alias plenè est convictus, etiamsi renitens sit, & neget delictum: nam ad remedium extraordinarium, quale est tortura, non est deveniendum, nisi deficiente remedio ordinario probationis legitime. l. 8. l. 9. ff. de Question. Quando vero deest probatio sufficiens, adsunt tamen indicia criminis urgentia certa, & conclusiva, ita ut solum rei confessio deesse videatur, ad torturam procedendum est, & non aliter. l. 1. §. 1. l. 18. §. 1. ff. de Question. Haec ergo juxta sexus, aetatis, virium, & indiciorum circumstantias ita temperanda est, ut reus, vel innocentiae, vel supplicio salvus maneat. l. 7. ff. de Quast. In ipsa tortura interrogandus est reus solum de delicto, de quo est suspectus, non de alio etiam connexo, & à Tabellione debent notari instrumenta, gradus, diuturnitas torturae, responsionis rei, gestus, lamentationes, & aliae circumstantiae. Si reus constanter neget delictum in tortura, quin corpus, vel animus Magica, vel alia arte adversus tormenta praevenerit, absolvitur, & a carcere liberatur, cum per torturam purgasse censetur indicia, quantumvis urgentia, nec ad torturam revocatur, nisi nova indicia insurgant. l. 18. §. 1. ff. de Question. Si vero delictum plane fateatur cum suis circumstantiis temporis, & loci, & extra locum torturae alio die confessionem ratificaverit, condemnatur; si neget extra torturam, rursus torquetur, & si tunc neget absolvitur; si confiteatur & postea extra torturam neget, tertio torquetur, si ibi fateatur, & postea extra torturam neget, poena extraordinaria punitur. De quibus satis clarè. l. 4. tit.

136. *ibid.* Gregor. Lop. Hev. in Cur. Philipp. p. 3. §. 16. A tortura eximuntur Magistratus Majores. L. 11. C. de Question. L. 10. C. de Dignit. Nobiles; arg. L. in C. de Quatr. Dignit. Milites. L. 8. C. de Question. Doctores, quippe Nobiles sunt; arg. L. 2. §. fin. L. 4. ff. de Excutat. & etiam privilegio militum gaudent; arg. L. 14. C. de Advocat. divers. judiciorum. In crimine tamen læsæ Majestatis, hæresis, proditionis, simoniae, & aliis valde enormibus neminem à tortura eximit conditio, vel status. Deinde, ob defectum animi, vel corporis non sunt torquendi furiosi. L. 3. §. 11. ff. de S. C. Silaniam. Impuberes. L. 1. §. 33. ff. eod. Senes decrepiti. L. 3. §. 7. ff. eod. Valetudinarii, qui in periculo vitæ versantur; arg. L. 7. ff. de Question. Mulieres prægnantes. L. 3. ff. de Partis. Surdi, & muti simul à natura, vel ex accidenti, si ignorent litteras. L. 3. §. 8. & 10. ff. de S. C. Silan. Delictum per viam inquisitionis probatum punitur poena ordinaria, non solum de Jure Civili. L. 8. ff. de Publ. Judic. Sed etiam de Jure Canonico, ut contra Felin. & alios tenent Barbo. Gonz. in cap. 21. h. t. n. 6. & alii. Et cap. 2. de Confes. cap. fin. de Celebr. Missar. præcipue hoc consuetudine, quæ est optima legum interpret, probante. Aliquando permittitur, poenam ordinariam moderari à Judice attentis personæ, & delicti qualitatibus, aliisque circumstantiis, ut in cap. 21. h. t. & ibid. Gonz.

15. Quando inquiritur in Prelatos, vel Subditos Regulares juris ordo non est observandus ad unguem, scilicet, quoad subtilitatem, seu solemnitatem juris, sed solum quoad veritatis probationem; arg. Cl. 2. de V. S. In nostra Hispania Protreges, Gubernatores, & alii Magistratus, finito eorum officio ad Syndicatum tenentur. Hispanæ: Residencia. Ubi fit inquisitio, tam generalis, quam specialis, tam publica, quam secreta de modo procedendi ipsorum, & an servaverint Leges, vel aliquid in eas commiserint, & quilibet de populo potest petere, quidquid ad suum interesse spectare judicet. De quo. Tot. tit. 17. p. 3. Hevia in Cur. Philipp. p. 4.

16. Denuntiatio in genere, est delatio, seu manifestatio criminis facta superiori sine solemnitate. L. 27. tit. 1. p. 7. Alia est judicialis, extrajudicialis alia: Judicialis, vel est Civilis, vel Canonica: extrajudicialis, etiam dicitur Evangelica. Judicialis ergo est delicti manifestatio apud

competentem Judicem, sine eo quod denuntians se ad probationem adstringat. L. 27. tit. 1. p. 7. cum concordantibus. Si solum delictum sine delinquente deferatur, denuntiatio generalis dicitur, si delinquens deferatur, dicitur denuntiatio specialis, si fiat Superiori Ecclesiastico, dicitur Canonica, si Judici Seculari Civilis dicitur. Et cum hæc, sive fiat à publicis Ministris, qui Fisci dicitur, sive fiat ab aliis personis privatis, successerit loco accusationis, hinc est, quod debet fieri in scriptis, expressis nominibus denuntiantis, & denuntiat, & etiam delicto cum circumstantiis loci, & temporis. Quando crimen vergit in præjudicium communitatis, vel tertii, si alias non potest impediri, deferri debet Superiori à quocumque illud sciat extra confessionem: etiamsi nequeat probari, nam tunc denuntiatio non fit ad punitionem delinquentis, sed ad vitandum damnum Reipublicæ, vel tertii, quod præponderat bono particulari delinquentis, cap. 37. 7. q. 1. arg. cap. 12. de Foro Compet. L. 38. ff. de Pactis. Sanchez. de Matr. lib. 3. D. 13. Si peccatum sit ita occultum, ut nequeat probari, nec vergat in damnum Reipublicæ, vel tertii non debet denuntiari, quia cum judicialis denuntiatio, tendat ad inferendam vindictam publicam, publico judicio, & hoc sine legitima probatione nequeat fieri, esset inutilis denuntiatio, & tantum famam denuntiantis læderet; & hinc tali casu nequit Judex denuntiationem recipere. L. 8. & fin. C. de Calumniator. possunt denuntiarî crimina præterita, emendata, manifesta, & occulta, si possint probari, etiam, quando nulla delinquentis infamia processit, quia denuntians subit vices accusatoris ad processum instituendum; licet non obligetur ad probandum, cap. 2. & 24. h. t. L. 27. tit. 1. p. 7. ibi: Non son tenudos de probar aquello que dicen, & præcipue in crimine hæresis tenetur quis illud Inquisitoribus denuntiare, & quidem nulla facta monitione, nec re communicata superiori Ordinis, si reus sit Religiosus, & etiamsi delictum nequeat probari, ut constat ex Constit. Alexand. VII. licet alias, an. 1660. qui postea hanc propositionem, quæ est 5. damnavit: Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum non teneris denuntiare, si probare non possis, & ibidem notant Expositores, quod etiam si quis sciat, respuisse, tenetur, illum denuntiare, & etiamsi tantum evidentiæ morali hoc sciat, imò etiamsi fun-

fundamenta non sint adeò gravia, tenetur quis denuntiare: nam S. Tribunal rectissimum, & secretissimum est, & quod faciendum sit, prudenter arbitrabitur.

17. Etiam est obligatio gravis denuntiandi Inquisitoribus, vel Ordinariis, ubi non sunt Inquisitores, illum Sacerdotem, qui in confessione, vel immediate ante, vel immediate post ipsam confessionem, vel occasione, vel quomodocumque prætextu confessionis, aut quamvis confessio secuta non sit, in confessionali, aliò loco, ubi confessiones audiri solent, sollicitat, sive foeminam, sive masculum, ad aliquod peccatum carnis secum, vel cum alio perpetrandum, aut si ibidem cum aliquo habuerit illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus. Sic post alios Pontifices, severissime, & sub excommunicatione lætæ sententiæ statuit Greg. XV. in Bull. 34. Universo Dominici gregis. Et Alex. VII. damnavit has propositiones. 6. Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit penitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac probe non est denuntiandus. 7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, his potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi. Nulli sollicitans confessorium non est denuntiandum, nec Laici confessionem audientes comprehenduntur, nisi ratione simulati Sacerdoti, si absolutionem impenderent Episcopi electi nondum consecrati in hoc edicto comprehenduntur, secus si consecrati sint; possent tamen Inquisitores recipere testium depositiones remittentes Pontifici; imò, & Episcopum detinere, si timeretur fuga. Foemina tenetur denuntiare, etiamsi ipsa in sollicitationem consensisset; sed non tenetur suum consensum detegere, nec de hoc ab Inquisitoribus interrogatur, imò, & si detegat, non scribitur in processu, ita constat ex Decreto Inquisitoris Generalis Hispaniæ, ann. 1713. Qui audivit, aliquid confessorium sollicitare, tenetur cum juxta notitia qualitatem Inquisitoribus denuntiare. Item denuntiandus est confessorius, si penitentem osculetur, turpiter tangat, premat pedem, si vellit foeminam, vel tangat mamillas, vel concubinam objurget. Hispanæ: Pida zelos. Vel si immediate post confessionem ducat puerum ad cubiculum, ut tradat ei Chyroglyphum confessionis, & ibi

eum ad inhonestam provocet. In nostra Hispania hoc delictum debet denuntiarî Inquisitoribus, ut constat ex Edicto Generali. S. Inquisit. n. 9. Denique confessarius debet penitentem admonere de obligatione denuntiandi, & quicumque, aliquid ex criminibus S. Inquisitionis Tribunali reservatis sciat, tenetur illud Inquisitoribus denuntiare, ut constat ex Edicto Generali. Inquisit. n. 21. O que algunas personas, faltando à lo que son obligadas, han dexado de manifestar al Santo Oficio algunas de las cosas referidas, ó han persuadido à otras, que no lo manifesten.

18. Denuntiatio Evangelica, sive correctio fraterna, est illa, qua frater corrigitur, quando peccatum est occultum; sed ita ut saltem per duos testes valeat probari: per illam tamen non corrigitur quis ad poenam, sed ut emendetur, & respiscat, debetque fieri juxta modum in Evangelio à Christo D. traditum. Matth. 18. v. 15. ibi: Si peccaverit in te (id est contra te, ut privatum, vel coram te) frater tuus, vade, & corripie eum inter te, & ipsum solium: si te audierit (id est si emendetur) lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum: Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; (id est superiori, ut delinquentem tamquam pater corrigit) omnes possunt hoc modo denuntiare, etiam, qui fecit juramentum de non denuntiando, quia tale juramentum non permissiosum, non debet servari, cap. 25. de Jur. jur. Imò ad hanc denuntiationem obligantur præcipue illi, ad quos ratione officii denuntiare spectat, cap. 35. 23. q. 4.

19. Debet tamen præcedere monitio privata; deinde coram uno, vel duobus testibus reus debet moneri; quod si non sufficiat ad emendationem, defferri debet ad superiorem, ut tamquam pater corrigit. Et quidem prædictus ordo non de consilio, ut docuit Gloss. in cap. 19. 2. q. 1. sed est de præcepto Divino, cap. 13. de Judic. cap. 31. de Simon. cap. 12. de Hæretic. & naturali: siquidem natura dicat, proximum esse corrigendum, quam minimo ipsius damno, & fama præjudicio, fieri possit. D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. Suar. de Relig. tom. 4. L. 10. cap. 7. Laym. L. 3. tr. 3. p. 2. cap. 4. n. 3. & alii Doctores communiter. Non debet talis ordo servari, sed immediate potest coram superiori defferri. 1. Quando delictum, etiam occultum, est valde perniciosum, ceditur

que in grave Reipublicæ, vel tertii damnum, ut hæresis, conspiratio, proditio, &c. 2. Si publicum, & notorium est; nam corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus, cap. 19. 2. q. 1. 3. Si admonitio privata denuntianti gravosa, vel ipsi delinquenti non censeatur profutura; nam ad inutilia, vel damnosa non datur obligatio, cap. 4. de Pœnit. D. 7. si sciverim non sibi prodesse, (ait D. Aug.) non te admonerem, non te terream. 4. Quando superior præcipit, sibi immediatè delictum deferri sine communicatione cum alio, ut solent Inquisitores facere. Si denuntians certo sciat, delictum comprehendit in præcepto, vel edicto, non potest illud alteri communicare; si tamen sciat delictum, esse commissum; ignoret tamen, an in edicto comprehendatur, non solum confessarium, sed & alium virum doctum, potest consulere. 5. Si quis in particulari, vel in communi, vel statuto Religionis renuntiavit huic ordini. Sic contra Loream, & alios tenent. Suarez, de Relig. tom. 4. L. 10. cap. 7. n. 28. Sanchez in Decal. L. 6. cap. 18. n. 43. nam quilibet est Dominus suæ famæ, & honoris Div. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3. ac proinde illi ex fine honesto renuntiare valet; arg. cap. 6. de Privileg. & sic ad majorem spirituales profectum, ad humilitatem propriam, ad majorem securitatem à relapsu, in Societate, quilibet est contentus, ut sui defectus, etiam occulti immediatè superiori, tanquam patri deferantur à quocumque eos extra confessionem cognoscantur, cujus statutum à Sum. Pontificibus approbatum est. Quando delinquens certò est emendatus, non est necessaria, nec fieri potest superiori denuntiatio, cum jam sit ejus finis obtentus. Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 18. cum aliis. Si verò dubitetur de emendatione, vel timeatur relapsus, & delictum cedat in damnum Reipublicæ, vel tertii debet deferri superiori, nam jus Reipublicæ, vel tertii præponderat famæ privati delinquentis. Si verò in delinquentis tantum detrimentum vergat, & ipse huic ordini, & suæ famæ renuntiavit, potest immediatè deferri superiori; secus si delinquens non renuntiavit: nam non debet privari jure certo, quod habet ad suam famam ob causam dubiam. Sanchez in Decal. L. 6. cap. 18. Superior, cui defertur delictum occultum sui subditi, & in nullius præjudicium cedens non potest judicialiter contra eum procedere: potest tamen in occulto pœnitentiam ei injun-

gere, à loco, vel occasione removere; sine ejus tamen infamia, nec publicatione delicti: licet possit cum aliquibus de remedio adhibendo tractare, eosque consulere. Si tamen delictum est publicum, vel in præjudicium tertii cedat, licet sit occultum, potest Judex, vel superior denuntianti præcipere, ut relicta fraternæ denuntiatione intendat judiciale, cum bonum commune, & tertii innocentis præponderet bono particulari delinquentis.

20. Aliter, ac hucusque dictum est, proceditur in delictis notoriis, & quando reus inflagranti apprehenditur. Delictum notorium est, quod ita certum in jure, vel ex facto suo habetur, ut discussione amplius non indigeat, nec ulla tergiversatione celari valeat, cap. 17. 2. q. 1. cap. 3. de Testibus cogend. Aliud est notorium notorietate juris, cujus scilicet notorietas oritur à jure, vel habetur in judicio, vel per judiciale confessionem spontaneam, non revocatam, cap. 7. cap. fin. de Cohabitat. Cleric. cap. 24. de V. S. vel per sententiam criminis condemnatoriam, vel declaratoriam, quæ in rem judicatam transit, siquidem hæc pro veritate habetur. L. 207. ff. de Reg. jur. vel per probationes in judicio legitime factas, si vè testium, si vè instrumentorum, secuta jam conclusione in illa causa. L. fin. C. de Probation. Aliud est notorium notorietate facti, quod ita scilicet in conspectu populi, vel majoris ejus parris, vel multitudinis juxta arbitrium Judicis, factum est, ut nulla possit tergiversatione celari, vel negari valeat. L. fin. C. de Prob. cap. fin. de Cohabitat. Cleric. Aliquando publicum, & manifestum cum notorio confunduntur, cap. 24. de V. S. Sed publicum proprie est quasi genus ad notorium, manifestum, & famosum: habetque tres gradus, aliquando dicitur id, quod nullomodo potest celari, & sic cum notorio coincidit. Aliquando sumitur pro eo, de quo jam existit fama. Aliquando pro eo, quod in judicio per duos testes probari valet. Manifestum est illud, quod est publicè, & famosè notum ex certa scientia, & certis authoribus. Famosum, quod notum est ex fama, vel ex rumore; sed cum fama non certam scientiam, sed solam suspicionem requirat, & rumor non exigat certos auctores, potest quod famosum est, simul, & falsum esse. Occultum dicitur, quod non ita certum est, vel quatenus nullomodo probari potest, ut ac-

actus internus, & est simpliciter occultum, & solum cum difficultate probari potest, ut adulterium, conspiratio, & alia delicta, quæ solent in occulto perpetrari, & dicitur quasi occultum.

21. Licet in judicio civili notorietas, non excuset ab observatione ordinis judicialis, nam tunc Judex regularitè non supplet vices actoris. L. 4. §. 8. ff. de Dam. infect. In judicio tamen criminali non debet Judex observare talem ordinem, quando delictum est notorium. c. 15. c. 16. 2. q. 1. c. 21. de Fur. jur. Hinc in notoriis non est necessaria accusatio, vel denuntiatio, quia evidentiâ parati sceleris non indiget clamore accusatoris, ait D. August. in c. 9. b. t. ipsaque delictum manifestat. c. fin. de Cohabit. Cleric. Nec requiritur libellus, contestatio litis, juramentum calumnie, nec alia solemnitates, quæ spectant ad ordinationem judicii, etiamsi contra absentem agatur. Gom. lib. 3. Var. cap. 1. Gomez. in c. 9. b. t. Citatio tamen, cum sit Juris Naturalis, ad rei defensionem pertinens, non est prætermittenda, semper ac aliqua re potest competere, vel saltem est dubium, an possit competere exceptio, vel defensio: ad sententiam tamen semper citatur reus, etiam in notoriis. Si tamen certum, & notorium est delictum, & certum est, nullam rei defensionem competere, non est necessaria citatio, siquidem nullum produceret effectum, præcipue quando periculum est in mora: conveniens tamen semper erit reum citare: nec in notoriis est necessaria sollemnis sententia Judicis in scriptis prolata. Gom. lib. 3. Var. cap. 1. n. 45. sed consultius est judicem delictum esse notorium pronuntiare, facta probatione per tot testes quot tunc haberi possint, qui non solum de delicto, sed de ejus notorietate deponant. c. 15. de Purgat. Canonie, cum multa dicantur notoria, quæ notoria non sunt. c. 14. de Appellat. Gomez. in c. 9. b. t. n. 5. Nec recusatio Judicis tanquam suspecti admittitur, quando poena statutæ est in jure, vel per consuetudinem c. 24. de Appellat. admittitur tamen, si arbitraria sit, nam in ejus taxatione potest Judex excedere. Farin. n. 130. Gomez. n. 46. Nec appellatio admittitur, quando in delinquentem tanquam notorium criminis reum profertur sententia; sed ea non obstante, sententia executioni mandatur. c. 5. §. 1. de Appellat. si notorietas delicti non exprimitur, est locus appellationi: nam tunc potest reus ap-

pellare contra defectum probationis notorietatis: Judici enim non tantum constare debet de notorietate delicti in ratione facti, sed etiam in ratione delicti, hoc est non tantum debet esse Judici notorium homicidium; v. g. esse commissum, sed esse commissum dolo, vel culpa, alias tergiversationi locus datur, quatenus, vel casu, vel ad defensionem factum esse, potest probari. c. 8. de Cohabit. Cleric. Et cum factum secundum suam naturam ponderetur. L. 1. C. ad Leg. Cornel. de Sicar. factum, quod natura sua maleficium arguit v. g. homicidium, si notorium est in ratione tacti, etiam est notorium in ratione delicti, si non opponatur exceptio, quæ ejus malitiam tollat. Factum vero, quod sua natura est bonum, vel indifferens non præsumitur delictum, nisi notoria circumstantiæ in factum ipsum malitiam inducant. Clar. §. fin. q. 9. n. 3.

22. Notorium est delictum, si Judex pro Tribunali sedens, vel alias actus jurisdictionem exercens videat aliquem delinquere, seu apprehendat inflagranti crimine, ut solet dici: nam Judicis aspectus ipsi inducit probationem evidentem, quoad causæ decisionem potestque procedere ad ejus punitionem ordine judicatio non servato, sine processu, vel alia probatione. L. 32. ff. de Minor. Tutius tamen erit, si in actis fiat per testes constare, in sua præsentia commissum esse delictum. Gom. lib. 3. Var. c. 1. n. 48. Si reus inflagranti apprehendatur à Judicis Ministris, vel ab aliis, & ad judicem ducatur, hæc relatio debet à Tabellione in actis scribi, & recipiuntur testes super delictum, & apprehensione rei inflagranti; & tunc reus examinatur: quod si absolute neget, & testibus convincatur, poena debita punitur. Si non sit plene convictus, torquetur, nec sunt necessaria alia indicia, quam ipsa apprehensio inflagranti. Si fateatur absolute delictum, juxta illius qualitatem punitur: si delictum fateatur, sed aliqua exceptione adjecta; v. g. quod occiderit ad justam sui defensionem, ad ipsum exceptionem probandam terminus conceditur: & non aliter punitur, quam si nihil à delicto relevans probet. Pro quorum confirmatione audiamus N. R. Alphonsum in L. 28. tit. 1. part. 7. ibi: De su oficio puede el Rey, ó los Judgadores, á las vegadas, estrañar los malos fechos, maguer non los aperciba ninguno, ni sea fecho acusacion sobre ellos: El ter-

erro es quando algun mal fechor anda haciendo algun mal recaudo, furtando, o haciendo otros yerros manifestamente, de manera, que lo saben los homes de aquellos Lugares: e es cosa manifesta el fecho de el, es en guisa, que se non puede encubrir. De his, que ad accusationem, accusatorem, & accusatum pertinent agit late pro praxi Hevia Bolaños in Curia Phillip. p. 3. §. 8. 9. & 10.

TIT II.

De Calumniatoribus.

23 **C**alumnia late sumpta dicitur qualibet cavillatio, vel informatio fraudulenta, ex qua tertio ali- quod detrimentum resultat. Calumniator in criminalibus est qui scienter, & dolo malo falsum crimen contra aliquem proponit. c. 8. 2. q. 3. l. 1. §. 1. l. 6. §. fin. ff. ad S. C. Turpil. l. pen. C. b. t. Alius est calumniator verus, ille scilicet, de quo, vel per propriam ejus confessionem judiciali, vel alias legitimas probationes constat, quod dolo vero, & scienter falsum crimen in judicio objecit. Alius est presumptus, ille scilicet, qui in probatione criminis contra alterum delati defecit: nam cum paratas probationes habere, deberet calumniandi animo crimen, quod non probavit, presumitur objecisse. c. 2. e. 3. 2. q. 3. Affines calumniatori- bus sunt prævicatoribus, & tergiversatoribus. Sic J. C. in L. 1. ff. ad S. C. Turpillian. Acusatoris temeritas tribus modis detegitur, & tribus penis subjicitur: aut enim calumiantur, aut præviciantur, aut tergiversantur: calumniari, est falsa crimina intendere, præviciari vera crimina abscondere tergiversari in universum ab accusatione desistere, quod transcriptum invenitur in c. 8. 2. q. 3. prævicator ergo proprie est ille, qui aliquem accusat, & cum eo colludit, falsas exceptiones admittendo, & veras probationes delicti reticendo, & dissimulando, ut reus absolvatur minus proprie prævicator: dicitur Advocatus, vel procurator, qui adversam partem adjuvat prodendo sui clientis causam, tacendo, quæ debent aperiri, vel manifestando, quæ taceri oportet. L. 1. ff. de Prævicator, ibi: Prævicator est quasi varicator, qui diversam partem advocat prodita causa sua, quod quidem nomen à varia certatione deductum est nam, qui præviciatur ex

utraque parte consistit. Hujusmodi igitur prævicatoribus postquam de hoc crimine sunt condemnati, infamiam juris incurrunt. L. 3. §. fin. l. 4. ff. de Prævicator. fiunt irregulares. c. 87. de Reg. jur. in 6. & poena arbitrio Judicis pro circumstantiis infligitur. L. 2. ff. de Prævicator. Menoch. de Arbitr. cas. 323. ex n. 3. Tergiversator dicitur ille, qui aliquem in judicio accusavit, & postea quasi tergum vertens ab accusatione desistit, nisi accusatus à reorum numero auctoritate publica exemptus sit, accusationis memoria abolita. L. 1. & 12. ff. ad S. C. Turpil. olim infamiam, & irregularitatem, & poenam pecuniariam incurrerat. Hodie hæ poenæ sublatae sunt, siquidem etiam accusatore desistente ab accusatione Judex ex officio procedere debet. Jul. Clar. §. fin. q. 58. Molin. & alii. Imponere alii falsum crimen, quocumque prætenu, peccatum grave est. Inde Innoc. XI. hæ propositiones damnavit: 43. quid nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. 44. probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. Pro quarum majori intelligentia vide earum Expositores.

24 Calumniator verus I. incurrit infamiam juris c. 1. 2. q. 3. l. 1. ff. de His, qui notant infamiam, non tamen ipso jure, sed post sententiam, qua Judex eum calumniatorem pronuntiat. L. 4. §. 4. ff. de His, qui notant infamiam. Et tunc fit irregularis, nec potest ad ordines promoveri, neque in susceptis ministrare. c. fin. D. 51. & ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica inhabilis redditur. c. 11. de Excessib. Prælator. c. 87. de Reg. jur. in 6. Suar. de Censur. D. 48. sect. 2. n. 1. 2. statuta est poena talionis, seu similis illi, qua accusatus, probato crimine puniretur. Dent. 19. v. 18. Cuique invenerint falsum testimonium dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo fecerit cogitavit. c. 2. e. 3. 2. q. 3. & Lege Rhemniana fuit statutum, quod in fronte calumniatoris inscriberetur littera R. quæ est prima calumniatoris. L. 1. §. 2. ff. ad S. C. Turpil. Et ibid. Gotof. Et licet Jure Hispano poena talionis sit admissa in L. 26. tit. 1. p. 7. ex consuetudine generale non servatur, ut notat Greg. Lop. in L. 13. tit. 9. part. 4. V. A pena de talion. In jure tamen Canonico poena talionis servari debet ex Const.

S. Pli V. ut refert Gonzal. in c. 1. b. t. n. 10. & incipit. Cum primum. 6. Kal. Apr. 1566. 3. Debet condemnari in expensis litis, & damna, quæ ob ejus calumniam passus est accusatus. Menoch. de Arbitr. cas. 321. n. 34. Imò debet accusator idoneam preparare cautionem, quod expensas, & damna refundet, & de injuria satisfaciet, si delictum non probet. 4. Clericus calumniose accusans alium Clericum, si hoc probetur, officio, & beneficio Ecclesiastico privatur, in exilium mittitur, & verberibus castigatur. c. 1. b. t. tamen hæc poena, quoad verbera, hodie generali consuetudine abolita est. Clar. §. fin. q. 70. n. 2. quoad alia etiam hodie potest à Judice infligi Diaz Pract. Crim. Can. cap. 37. n. 1. 5. Aliquando poena falsi damnatur. Menoch. de Arbitr. cas. 322. n. 5. Hodie arbitrio Judicis relinquuntur taxanda poena contra calumniatores pro varietate circumstantiarum, habita ratione ad similes poenas in jure stabilitas, nam Constitutio. S. Pli V. statuens poenam talionis in calumniatores veros, vel non admissa, vel est per contrariam consuetudinem abrogata, poteritque Judex condemnare ad publicam infamiam, deportationem, triremes; imò ad mortem: precipue si accusatus ob calumniam morte sit condemnatus. Clar. §. fin. q. 81. n. 3. poena infligenda in calumniatores presumptos, qui in criminis delati probatione defecerunt, ferè est eadem. c. 1. e. 3. 2. q. 3. e. 2. b. t. quod si probet, sed dolo in accusatione caruisse, ab his penis liberatur; imò etiam à condemnatione expensarum, si probet culpa caruisse, & non ex temeritate accusasse. Licet nihil calumniatorem verum, quando de ejus calumnia constat, excuset, calumnia tamen presumpta non inducit presumptionem juris, & de jure, ac proinde probationem in contrarium recipit, qua accusator dolum, & animum calumniandi excusare intendat. c. fin. b. t. quod ut plurimum Judicis arbitrio relinquuntur. arg. L. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpil. Sicque à calumnia presumpta liberatur, qui ex necessitate officii accusat, ut Tutor: vel si hæres homicidium defuncti accusaret. L. 21. tit. 1. p. 7. Procurator fiscalis. L. 2. C. de Delator vel alia persona publica, dum verosimiliter accuset: secus si leviter, & temere; nam tunc tenebitur, sicut quilibet privatus. Etiam ab hac presumptione excusatur denuntians, si semiplene probavit delictum, vel à testi-

bus fuit deceptus, vel probationes forte per mortem testium defecerunt, vel alio modo sunt malitiose subtractæ: si non ipsum delictum, sed circumstantias suspicionis, vel indicia sufficientia proposuit, vel à fidedignis audisse se ostendat, vel, si ex immanitate criminis, vel doloris accusavit; v. g. ex morte parentis, vel si ob fragilitatem accusavit, ut mulier. L. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpil. In aliis hujusmodi casibus excusatur etiam à poena, quo in probatione defecit.

TIT. III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

25 **S**imonia jam à primis seculis invaluit; nam Giezi Elissæ famulus vendidit sanitatem lepræ divinitus Naaman Syro datam. 4. Reg. 5. c. 11. 1. q. 1. l. 2. tit. 17. p. 1. Postea Simon Magus (à quo nomen accepit simonia) ab Apostolis Spiritum Sanctum, id est, gratiam sanctificantem, emere voluit, ut illam postea vendendo, lucrum caperet Act. Apost. 8. ex v. 18. c. 11. 1. q. 1. c. 8. 1. q. 3. l. 1. tit. 17. p. 1. ibi: *Et simoniato- rum est nomen de Simon Mago, que fue un Encantador, que era en tiempo de los Apostoles.* Et hodie tam ementes, quam vendentes res spirituales simoniaci dicuntur, licet proprie loquendo solum deberent sic vocari ementes res spirituales, cum illas vendentes dicantur Giezitæ. L. 2. tit. 17. p. 1.

26 Simonia communiter definitur, studiosa voluntas emendi, aut vendendi, aliquid spirituale, vel spirituali annexum. L. 1. tit. 17. p. 1. ibi: *Caen en pecado de simonia los omes, queriendo, è haviendo muy gran voluntad por sobejana cobdicia de comprar, è de vender cosa espiritual, o otra cosa, que sea semejante de ella.* Dicitur studiosa voluntas, id est actio voluntaria, deliberata, & cum advertentiâ ad malitiam. Sicque in presenti voluntas sumitur pro effectu, seu actu voluntatis. Hinc qui fectè promissit, cum tali voluntate, & animo careat non incurrit simoniam, nec ejus poenas in foro conscientiæ, licet in hoc graviter peccet, alterum ad simoniam inducendo: in foro tamen æterno ob tale pactum judicabitur